



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Specvli Vanitatis Ecclesiastae Capvt Nonvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

S P E C V L I
 V A N I T A T I S
 E C C L E S I A S T A E
 C A P V T N O N V M.

S E C T I O P R I M A .

E C C L E S I A S T E S .

VERSUS 1. Omnia hæc tractavi in corde meo,
 vt curiosè intelligerem: Sunt iusti atque sa-
 pientes, & opera eorum in manu Dei: & ta-
 men nescit homo vtrùm amore an odio di-
 gnus sit:

2. sed omnia in futurum seruantur incerta, eò
 quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio,
 bono & malo, mundo & immundo, immolan-
 ti victimas, & sacrificia contemnti. sicut bo-
 nus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui
 verum deierat.

3. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole
 fiunt, quia eadem cunctis eueniunt. vnde &
 corda filiorum hominum implentur malitiâ,
 & contemptu in vitâ suâ, & post hæc ad infe-
 ros deducuntur.

Gggg 2

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.



*V*t fax corusci prodiga luminis,
 Opaca noctis vincere pertinax,
 Dum cuncta lustrat, tabefacta
 Emoritur viduata cera,

Suisque sese funerat ignibus;
 Sic lenta tabes me penitus vorat
 Depasta fibras, & sciendi
 Dira animum cruciat libido,
 Dum fata scrutor, quidlibet impotens
 Tentare, abyssos dum bolide ingent
 Dimensus, eternis minorem
 Iudiciis animum fatigo.
 Eviscerata tabe scientie
 Prurigo mentis quò miserum rapis?
 Quid milles exulcerato
 Quæris opes animosque morbo?
 Rursum en doloris fibra renascitur.
 Iusti & tenaces sunt sapientie,
 Quæis laurus æternat sacratos
 Æmula cælitibus triumphos.
 Quorum æta librat magna Dei manus,
 Et comprobatis sidera destinat:
 At nosse mortali negatum est
 Opprobrii meritum aut salutis.
 Olim futuri præmia temporis
 Altis tenebris occuluit Deus,
 Dum sorte sub Phæbi quadrigis
 Res hominum parili rotantur.
 Si culta rident arua, Hyperionis
 Afflata vultu, iustus & impius

Partitur ex equo benignos

Sideris auricomi fauores;

Si facta nubes in Cererem ruit

Siticulosam, lege Diespiter

Promiscuâ probum improbumque

Fruge beat pluuioque rore:

Fortuna letis indocilis fidem

Seruare rebus, si furit impotens

Superba Magnatum probrosis

Ruderibus tumulare recta:

Si bella Nereus Eolidum ciens

Conuulsa verrit funditus aquora, aut

Germana bellantis tyranni

Sanguineo rigat imbri campos;

Nec dia virtus eximios dabit

Fræ clientes nauifragi maris,

Nec cladis exsortes tueri

Impietas poterit nefastos.

Si fortè ruptâ nube Diespiter

Illidat altis tela Ceraunius,

Quemcumque sub dio morantem

Nubiagâ feriet sagittâ,

Siue hic proteruo sacrilegus pede

Disturbet aris sacrificos focos,

Seu Numinis cultum propagee

Thuricremos adolens honores.

Si sæda terras inficiat lues,

Mendacis æquè corripiet caput

Reum sacramenti, cuique

Relligio rata dictâ firmat.

Si verset urnam dira Necessitas,

Tristemque cludent fata catastrophem

Gggg 3

Mor-

Mortalis orchestra; equè in omnes
 Sortilega dominantur Orna.
 O ceca nox! ò Cimmerium chaos!
 Nil insolenti fræna licentia
 Sic laxat, toti fandi ac nefandi
 Lex eadem, parilesque sortes.
 Indulget orbi dum facilis Deus,
 Suppurat egris ulceribus lues:
 Astræa conuiuens nonorum
 Mille vias scelerum recludit.
 Fecunda noxia tempora! tempora
 Totis Gomorrhæ sulphureis rogis
 Vix expianda! quid profana
 Colluuiis vitis inausum, aut
 Intaminatum præterit? O pudor
 Proscripte terra finibus! ò poli
 Calcata maiestas! ò etas
 Tartareis vitiata monstris!
 Densis propinquat passibus interm
 Fatalis hora: ac immiserabiles
 Mors spiculum dextrâ coruscans.
 Tartareas rapit in cavernas.

PROSA EXEGESIS.

*Amoris di-
 nini incer-
 siculo ani-
 mum tor-
 quet.*

*Bernardus
 Serm. 23.
 in Cant.*

*Hieron. in
 Vita Hilar.*

NON immerito viros cordatos semper anxios atque
 exercitos habuit illa, quam oculis nostris offusam
 videmus, rerum humanarum nebula, præsertim vbi per
 hæc tenebras diuina illa vox auget terrorem, *Nescit ho-*
mo vtrum amore an odio dignus sit. Terribilis est locus iste,
 ait D. Bernardus; & totus expers quietis. Totus inhor-
 rui, si quando in eum raptus sum. Qui horror ne in ip-
 sâ quidem morte B. Hilarionem deseruit, qui licet præ-
 clare

~1014

ε 3330

clarè sibi conscius esset vitæ per annos propè septuaginta Deo consecratæ, cæco tamen horrore quasi per caliginem obuersante, his verbis animum iam è senili ac ruinoso corporis ergastulo eluctantem confirmauit: Egredere, anima mea, quid times? Egredere, quid dubitas? Septuaginta propè annis seruiuisti Deo, & mori times? Tametsi enim viri illi summi, communi hominum suffragio, à quibus pænè vsque ad nominis consecrationem colebantur, in spem non dubiam venire poterant se Deo charos esse, & ipsi rectè factorum se conscientiam solabantur; non ignorabant tamen, alia esse iudicia Dei, alia hominum. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestra; neque via vestra, via meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur celi à terrâ, sic exaltata sunt via meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Et tamen ab hac lance diuinorum iudiciorum pendet momentum amoris aut odij, electionis aut abdicationis, felicitis aut infelicitis æternitatis.

Isa. 55, 8.

Illud quidem apud omnes in confesso est, veram virtutem ac sapientiam Deo displicere non posse: sed tamen in huius vniversi gubernatione, pœnarumque ac præmiorum dispensatione relinquitur obscurum, cuius vitam Deus acceptam habeat, aut contra supplicio vindicandam iudicet. Nihil enim in orbe lætatum inuenies, quod non improbos æquè ac probos recreet: nihil illætabile, quod non probos æquè ac improbos adfligat.

Mirabantur olim nouella Christianorum germina, plantæque tenellæ, D. Cypriani æuo, in illâ celebri Africæ contagione se non minùs quàm Ethnicos communi peste corripì. At Cyprianus occurrens huic errori, docuit, eos non idcirco vitæ communis ac miseriarum exsortes fore, quòd Christo nomen dedissent; sed potiùs plus

Probis ac improbis omnia in hac vitâ promiscuè contingunt.

Cyprianus de Mortalitate.

Ioan. 16.
33.

plus aliquantò passuros, cum Christus tantò antè prædixerit, *In mundo pressuram habebitis*. Itaque neque communis contagio vllum genus hominum præterit, neque aduersæ prosperæque fortunæ casus inter virtutem ac vitium discrimen agnoscunt; nec cælum, dum beneficio suo influxu mundum hunc sublunarem fouet, impios ab hoc beneficio excludit; neque terra, cum horrendo boatu aperitur, vrbesque deglubit, iustos à communi exitio seruat indemnes.

Vidit Roma in summo felicitatis humanæ culmine laudatissimos (si Religionem excipias) Imperatores Augustum ac Traianum; vidit & portenta naturæ, beluasque potius quàm homines in eodem fastigio, Neronem, Caligulam, Heliogabalum; vidit eadem Roma duos Philosophiæ Stoicæ Principes, alterum Senecam in diuitiis numerantem supra centies centena millia aureorum, alterum Epictetum, miserum ciuis Romani mancipium.

Ambrosius
lib. 1. de
Virgin.

Et si mortis contemptor animus, & à curis angoribusque solutus pretium habet, audies inter Christianas heroidas tenellam virginem Agnetem, his verbis licetorem increpantem: Age, duc & feri. quid percussor moraris? pereat corpus quod placere potest oculis quibus

Plin. lib. 3.
c. 16.

nolo. Audies & inter Ethnicas Arriam Cæcinnæ Pæti coniugem, marito ad necem damnato præeuntem, & sanguinolentum mucronem, quo ipsa sibi pectus transfoderat, cum hoc dicto porrigentem: Pæte non dolet.

Pet. Chry-
sol. Serm.
135. de
S. Laurent.

Audies Christianum Heroa Laurentium, cum nidorem ambusti corporis in craticulâ percepisset, tyranno his verbis insultantem: Assatum est satis, versa & manduca.

Seneca de
Tranquill.
anim. c. 14.

Inuenies & Iulum Canum Græcæ superstitionis virum, cui post longam altercationem cum Caio Caligulâ,

gulâ, cùm Phalaris ille dixisset, Ne fortè ineptâ spe tibi blandiaris, duci te iussi; ille nihil motus, Gratias ago, inquit, optime Princeps. Cùmque supplicij dies adesset, inuenit illum Centurio latrunculis ludentem. Itaque numeratis calculis sodali dixit: Vide ne post mortem meam te vicissè mentiaris. & annuens Centurioni, Testis eris, inquit, vno me antecedere. Quorsum hîc te vertes? vbiq̃ue eadem apparet animi serenitas: & vniuersè in tam vario fortunæ adfluentis & refluentis aestu par iustorum iniustorumque conditio.

Hæc est illa, quæ multorum animos sollicitos habet, rerum humanarum perturbatio, quam qui superficietenus intuebitur, non liquere pronuntiabit, sitne apud Deum amore aliquis an odio dignus. Si quis tamen penitus introspexerit, magnum in paucis Ecclesiastæ versibus proborum discrimen & improborum inueniet, coniecturasque vehementes ac euidentes, quinam electorum aut reproborum sorte censendi sint. Probi enim Deoque chari nihil hac mundi gubernatione perturbati, ipso paulò post hortante Ecclesiastæ comedunt & bibunt, id est, in hac dispensatione diuinæ prouidentie securi conquiescunt. Neque enim ambigunt, quin æterna illa mens cælorum perennes orbis, siderumque cursus inæquales, & elementorum alternas vices, & quidquid demum in terris geritur, moderetur ac temperet. Cùm enim irrefragabili naturæ testimonio eum esse totius vniuersi conditorem adstipulentur, consequens etiam est, vt sibi persuadeant, nihil eius summæ perfectissimæque naturæ magis conuenire, quàm vt curam tutelamque operis sui gerere & velit & possit. Quidni autem velit, cum sit optimus? quidni possit, cum sit maximus? adeoque nullæ vires supra ipsum, vt nullæ sint nisi ab ipso.

H h h h Itaque

*Iusti sui
securi di-
uina pro-
uidentia
acquiescunt.*

*Vide Lips.
lib. 1. de
Constant.
c. 13.*

Itaque cum persuasissimum habeant, in hoc pulcherrimo mundi corpore non temerario ac caeco impetu ferri miscerique res humanas, sed ab infinita illa bonitate ac sapientia temperari; cur non sibi persuadeant id esse optimum, quod a perenni bonitatis fonte promanat?

*Improbis
Dei providentiam
offenduntur.*

Psal. 72, 9.

At longe aliter improbos, audaces, superbos afficit haec rerum humanarum perturbatio, euentusque promiscui: ringuntur illi scilicet, infaniunt, Deoque succensent, & ut ait Propheta, *ponunt in caelum os suum* tamquam novi Titanes. Et dum in crimen vocant huius mundi gubernationem, quid aliud quam sceptrum Deo (quod in se est) eripiunt, & arbitrium gubernandi?

Alij maiori procacitate somniis suis & indomitis cogitationibus indulgentes, & providentiam omnem negantes, aut Deum circa caeli cardines oscitabundum negligunt, aut omnino nullum in orbe Numen esse contendunt.

*Alij providentiam
negantes,
in omni
flagitium
effunduntur.*

Psal. 52, 1.

Psal. 13, 3.

Et quid inde consequens est? Malo ex Propheta Regio quam ex me discatis. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Quid inde? *Corrupti sunt, id est, in vitiis suis & flagitiis computruerunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum pateas est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

Rom. 1, 24.

Sed potissimum eorum flagitium hoc assignat Apostolus: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumelios afficiant corpora sua in semetipsis.* Et quis dubitet, has libidinum flammis, in quas impij Numinis contemptores exardescunt, aeternis gehennae ignibus esse praambulas? Quis non videat, tantam scelerum & flagitiorum colluiviam non aliter quam aeternis

nis supplicii vindicandam? Nihil est igitur, cur mansuetissimum Dei pectus in contemptum adducant, quasi aut ignarus sit eorum quæ in terris geruntur, aut incuriosus.

Nihil est quod toties impunitatem scelerum suorum his verbis occinant: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Eccli. 5, 4. *Altissimus enim est patiens redditor; sed subito veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Extendant igitur sacrilegi illi cogitationes suas ultra mortalis vitæ limites: cogitent horrendum illud vindictæ tempus: cogitent inevitabilem mortis necessitatem; & haud dubiè pigebit illos dementia.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 4. Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.

METRICA PARAPHRASIS.

QVICVMQVE *fortis prosperæ gustu ebrius,*
Procul à flagello Numinis,
Mortalium beatitatem scenicis
Metire vitæ somnis,
Et quò libido mente lymphatà trahit,
Huc vela votorum regis;
Fati intuere tela librantem manum,
Breuis pigebit gaudij.
Frustrà soluti Numinis telam metu
Felicitatis teximus.
Jam nunc secunda vita nos longæ spei
Subtremen ordiri vetat.

Hhhh 2

Vitale

Vitale quotquot lucis vnus iubar
 Affluit, vna nox manet.
 Nullum verna nomen excipit capax, neque
 Mors praterit celsum caput:
 Non sceptrā adorat, non lacertoso impete
 Retunditur Dei Getæ:
 Non suada rigidam mulcet eloquio necem,
 Non diues auro fascinat.
 Soccus cothurnis, scepera sarculis, Ducum
 Trabeas adequat penulis.
 Seu vernet atas flore primæuo inclyta,
 Seu margine occiduo labet,
 Seu stirpe Regum, siue plebæã sati,
 Letho paramur victima.
 Ubi nunc Adamus generis humani sator?
 Grauesque lustris posteris?
 Vigore quamuis pluribus sæclis pares,
 Fato fuerunt impares.
 Quos mentiuntur fabula Diuim genus,
 Non subtrahunt mortis iugo.
 Quis nescit Octam nobilem Alcida rogo?
 Hunc stemma non texit Iouis.
 Stygio fluento tinxit Æacidem Thetis,
 Nulli vt pateret vulnere:
 Paridis tamen, fuisse mortalem, docent
 Excussa neruo spicula.
 Sic quidquid ortum est, fata sub leges necis,
 Et Parca non parcens vocat.
 Nec imminuti sæcla Tithoni omnibus
 Indulget, aut Pylij senis:
 Momenta penè singula ancipites habent.
 Quid ad perennis computum

Vitæ vocamus crâstinum aut perendinum?

Vix hora calculis datur.

*Hunc, quem dicamus, mortis immemores, iocis,
Cum morte partimur diem.*

Ergo quod horæ superat in lucris habens,

Et vana damnans gaudia,

Tandem execrandis statue sceleribus modum,

Nec frana des licentiæ.

Dum res, & etas, dumque blanda Numinis

Inuitat indulgentia,

Moriendo vitus praueni instantem necem;

Et ne occuperis, occupa.

PROSA EXEGESIS.

QUI S autem non omni studio atque industriâ occupet hanc fatalem necessitatem, qui norit, mortem naturæ legem esse, & ineuitabile mortalium tributum; qui serio expenderit, rigidum hoc tributum ad nutum Auctoris naturæ nullâ certâ præstitutâ die pendendum; qui denique exploratum habuerit, vt longissimas vitæ paciscatur inducias, longas tamen esse non posse.

Et quidem fatalis huius necessitatis se nemini gratiam esse facturam, natura testata est, quæ nouam indies ante oculos nostros notorum ignotorumque funebrem ducit pompam.

Quid, quod ne ab illis quidem abstinuit manum, per quos olim populus iurare consueuerat, Principes dico, ac Deos? Vbi nunc Seianus ille sub Tiberio magnus, cuius fortuna voti mensura videbatur? Vbi potentissimi orbis Monarchæ, qui gentis suæ dominatum ad summum imperij culmen euexerunt, apud Baby-

H h h h 3 lonios

& Monar-
chis,

lonios Nabuchodonosor, apud Persas Cyrus, apud Græcos Alexander, apud Romanos Augustus? Nunc etiam mausolæa ipsorum in rudera terramque dilapsa sunt, nedum ut massa carnea superstes esse potuerit.

etiam is
qui olim
inter Deos
numerati.

Quid illos producam, quos aris, ac fanis, & omni diuinitate Gentilitas consecrauit? Ne illi quidem, qui per eorum numen iurabant, eorundem sepulchra nos latere voluerunt. Nam & in Cretâ Iouis sepulchrum coluerunt, & in Spartanorum ac Lacedæmoniorum finibus terræ mandatos Castores, & in Sicilia tumulum Saturnum, & in Ægypto Isidem ac Osirim, & in Oetâ redactum in fauillas Herculem, memoriæ prodiderunt.

Amob. l. 4.
& 8. Contra
Gentes.

Sed nihil miremur eos communi fato occubuisse, quos stulta Græcorum celo transcripsit opinio, cum ne illis quidem impune nasci contigerit, quos Christiana pietas æternitati consecrauit. Sed quid ego hæc disputo, cum Christus ipse Dei Filius, cui in omnes vitæ mortisque imperium fuit, se mortis legibus non subduxerit?

Etiam Chri-
stus se
morti sub-
iecit.

Maneat igitur hoc animis nostris infixum, quidquid ortum habet, ad occasum spectare; quidquid natum est, oportere denasci. Quod ut facilius animis nostris obuerfetur, frequenter utamur symbolo illo, quo Romulus olim vsus est: qui cum Pop. Romanum in centurias diuideret, singulos singulis centuriis viros præfecit, qui manipulum fœni conto affixum gestarent. Sed cur fœnum potissimum adhibuit, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur; nisi ut hoc symbolo vitæ fragilitatem & incertitudinem nobis adumbraret? Quid enim Deo facilius, quam fœnum nostrum vnico nutu in fumum ac fauillam redigere? Quod si fecerit, quis de iniuriâ cum infinitâ illâ maiestate expostulabit? quis ius posses-

Plutarc. in
Romulo.

Vita hu-
mana fra-
gilitas.

Luc. 12, 18

possessionis obtendet? Certè impudentis animi sit, indignari inde se exire, quò admissus est precario. Mali nominis debitor est qui mutuum repetenti moras nequit. Et quis ignorat, iure debitum à nobis reposci, cui neque tempus foenebre, neque Kalendarum terminus præscriptus est? Quis est, quamuis sit adolefcens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum?

Mors debitum exigat.

At, inquires, ante tempus mori, miserum est. Pellantur istæ ineptiæ & querelæ plusquam aniles. Quod enim est illud tempus? Naturæne? at ea quidem dedit usuram vitæ tamquam pecuniæ, nullâ præstitutâ die. Quid est igitur quòd querare, si repetit cum vult? eâ enim conditione acceperas.

Cicero in Catone Maiore, & Tuscul. 1. Nullum mori certum tempus.

Quæ verò ætas longa est? aut quid omnino homini longum? Nonne modò pueros, modò adolefcentes in cursu à tergo insequens, nec opinantes affecuta est senectus? Bestiolas quasdam, ait Aristoteles, & ex illo Cicero, circa Hypanim fluvium reperiri, quæ oriente Sole nascantur, occidente occidant; vnde Ephemeræ dicuntur. Harum quæ ad sextam horam diei, id est ad meridiem peruenit, iam maturæ est ætatis: si quæ ad nonam, id est tertiam pomeridianam pertigerit, iam vetula moritur; si qua verò ad ipsum Solis occasum, hæc planè decrepita.

Nulla hic ætas longa.

Cicero Tuscul. 1.

Ridicula sunt isthæc, dicet aliquis. Sit ita verò, dummodò non minùs ridiculi censeantur illi, qui ad æternitatem atque immortalitatem nati, in his tantis mortalis vitæ angustiis longam, prouectam, decrepitam ætatem somniant. Plus dico: adsit aliquis primæuæ mortalium ætatis admirator, vincat ipsum humani generis parentem annorum numero, totumque die fatali expleat millenarium. Quid si nunc hesternæ diei ephemeram

meram

meram cum hoc beatulo comparauero? Explodam proculdubio, nisi diuinum Vatem in testem citauero. Dic igitur Rex sanctissime, quid videtur? *Mille anni*, inquit, *ante oculos tuos, tamquam dies hesternæ, quæ præterijt.* O vanitas! Quid est vita nostra? *Vapor est ad modicum parens.* Quid est vita nostra? *Quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Quid est vita nostra? Instar fragilis telæ, quæ vix inchoata, à texente succiditur. Denique quid est vita nostra? Nihil aliud quàm vmbrae fomnium, ludus fortunæ, spoliū temporis, trutina calamitatis.

Est hæc Philosophia fructu inprimis & effectu prægnans: quæ si frequenter oculis nostris animisquæ obuersaretur, præclara nobis in omnem vitam documenta suggereret. Primum enim, si tam fragilis & fluxa est hæc vita mortalis, quid in eâ, tamquam in æternitate, longam aut curarum, aut honorum, aut voluptatum seriem disponimus? quid rebus perituris tanto affectu adhærescimus? Præclare monent sapientes, vt in vitâ agendâ appetitum omnem, quantum fieri potest, auferamus aut circumcidamus. In vnoquoque eorum, inquit, quæ iucunda sunt, vtilia aut chara, aduerte quale sit quod amaueris. Si vitrum diligis, dic, Vitrum diligo; sic eo confracto minùs hoc damno percelleris. Si filium diligis aut vxorem, dic, Hominem diligo; ita, cum naturæ debitum persoluerint, infracto animo iacturam feres. Prudenter igitur religiosissimus Imperator Ferdinandus, cum eximium Venetorum donum, vitream scilicet arcem, à Cimeliarchâ postulasset, vt Magnatibus quibusdam ostenderet, & ille trepidus pallidusque tergiuersaretur, fractamquæ tandem fateretur, lenissimè respondit: Nihil est quòd perturberis, vitrea erat.

Psal. 89. 4.

Iac. 4. 14.
Vita hu-
mana
quid.Iob 14. 2.
Isaie 38.Varia ex
vita fragi-
litate &
mortalitate
certitudine
documenta.Affectus
fragili vi-
ta non ad-
hærescat.

erat. Utinam hoc in omni mœsto ac inopinato casu meditentur homines, dicantque quod antè ex Laberio de fortunâ diximus,

Fortuna vitrea est, quæ dum splendet frangitur.

Laberius.

Dicamus & nos:

Hæc vita vitrea est, quæ dum splendet frangitur.

Alterum documentum, quod hinc elicimus, & ad rem præsentem propius accedit, hoc est: si fatalis omnibus incumbit necessitas, si ne momenti quidem vnius possessionem firmam ac stabilem tenemus, si tam angustis limitibus vitæ nostræ spatium circumscriptum est; quâ fronte audet vilissimus terræ vermiculus, imò cineris pugillus, mox inter reos ac facinorosos extremo tribunali sistendus, supremum Iudicem laceßere, eius numen fugillare, providentiam explodere, & æqualia bonis malisque in terris præmia criminari? Quò tendis vaga mens? & quid tibi vis per hanc curam curiosam? tangere cælestes illos affectas ignes? liquesces æternæ illius flammæ incendio. Scandere in arcem diuinæ providentiæ? tantò periculosius ruës, quantò magis inaccessa & abrupta tentaueris. Ut papiliones & minuta quædam animalcula vespere lucernæ lumen identidem circumuolant, donec amburantur, sic humana mens lasciuit circa arcanam illam flammam. Si hospes aliquis arbitrari leges aut instituta patriæ tuæ velit, siflere eum iubeas & faceßere, quia non capit: tu terræ huius incola temerè damnabis ignotas cæli leges? tu opus, conditorem? tu reus, iudicem?

Tam fragilis homuncio iamiam moriturus non obiret Deo aut eius providentia.

Lips. lib. 2. de Constant. c. 12.

13.

Tertium documentum, quamuis huic loco accomodatissimum, verbo perstringam. Si momentis singulis morimur, si posterior vitæ pars priorem premit & perimit, donec & ipsa pereat; quâ fieri potest, ut in om-

Meris meditatio à peccatis coercet.

A
ne flagitium proni ruant improbi? certè qui omnem diem postremum sibi credit diluxisse, facile abstinebit à scelere mentem & manum: & qui secum ipse reputat, quàm multos in medio scelere mors occupauerit, aut in ipso conatu meditati sceleris oppresserit, facile impiorum funestos exitus perhorrescet. Certè nemo prudens inter Oceani fluctus in tabulâ ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus scelera meditatatur: nemo inter hostes hilarescit inermis. Stolidior his est, qui in perpetuo mortis metu, omni momento dubius ea audet, quæ infelicem adferent æternitatem. Beatus qui hæc assiduâ meditatione præcipiens, in omnem profuturis æternitatem consiliis momentaneum vitæ tempus impendit.

Scribanius
lib. 1. Politic.
c. 27.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

- VERSUS 4. Melior est canis viuus leone mortuo.
5. Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt ampliùs, nec habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum.
6. Amor quoque, & odium, & inuidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere quod sub Sole geritur.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

INIVRIOSO quid pede profuit
 Calcasse Divum iura potentibus?
 Calumque sacratasque leges
 Sacrilegâ temerasse dextrâ
 Orbis toparchis? Quid Venerem & iocos
 Captasse, & ignei tela Cupidinis,
 Aut per voluptatum vireta
 Indomito volitasse collo,
 Si quando fati præda rapacibus,
 Vitaque & almi luminis exules,
 Vulgi que consortes silentum
 Tenarias habitant cavernas?
 Quanto hac leonum sorte. beatior
 Vilis catellus, sanguine pauperum
 Cretus parentum, cui vigore
 Pleno animæ vegetantur artus?
 Quicumque vita munere vescitur,
 Necessitatis dum reputat vices
 Suprema, ineluctabilisque
 Tela videt cuneosque fati;
 Labentis eni precipites catus
 Dispensat horas, & scelerum abstinens,
 Heroicos virtutis actus
 Innocua monumenta vite
 Æternitati consecrat ætheris,
 Maior sepulchro. Hæc est sapientia
 Medulla prima, vim ferocis
 Consilio domuisse lethi.
 Hoc fonte vite manat amœnitas,
 Morumque candor, fama que postuma,

Et præmium æternitatis
 Siderei diadema ferti.
 Non illa sperant munera, Tanari
 Quos in cauernis horrida nox premis
 Non expiuros furorem
 Heu lacrymis petulantis aui.
 Neglecta serò præsidia occupat,
 Vitæ prioris qui palinodiam
 Post frigidas busti fauillas,
 Et cineres meditatur urnæ.
 Jam nec labori præmia postumo,
 Nec pulchra Marti restat adorea,
 Nec grata virtutem coronat
 Laurea post tumuli cupressos.
 In vota quamuis cor tibi ferueat,
 Frustraque nervos ruperis ingeni;
 Obluionis cuncta vasto
 Merget Agonothetes profundo.
 Non ardor illis, quos tumulat sapor
 Fatalis, agro pectore concitos
 Frenare motus, aut furore
 Condere perdomito trophæa:
 Non prurientes Idalidis labor
 Vitare flammæ: non odium pio
 Vlcisci amore: non tumentes
 Inuidia superare fluctus.
 Pars nulla castis lumine traditur
 Orbis teatro: nil tribuit chorus,
 Nil mimus, aut orchestra vitæ,
 Nil Thymele, podiumque scenæ.

PROSA EXEGESIS.

CONTENTIONEM hanc, quam inter canem viuum & leonem mortuum instituit Ecclesiastes (quando tam præclara vitæ documenta continet) paulò explicamus enucleatiùs. Primùm itaque canem, humile, mansuetum, domesticum animal, superbo præfert ac truculento leoni; homines inquam mansuetos ac per omnia Dei nutibus obnoxios, superbis illis Numinis contemptoribus, & ad omne flagitium proiectis. quod vtrique Deo familiare semper fuisse, à parente didicerat, cuius hæc verba memoriâ tenebat: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Quod Isaias luculentè confirmat, apud quem Deus ita superbis illis Israëlitis Maiestatem suam exaggerat: *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. quæ est ista domus, quam edificabitis mihi? cuius pretij existimatis marmoreum istud orbis miraculum? aut quis est iste locus quietis meæ? nōnne omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt uniuersa ista? Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Deinde viuum canem cum leone mortuo confert, quia tum maximè apparet, quàm nihil profecerit diuitibus superbia, aut leonina ac sanguinaria in pauperes truculentia, voluptatumque ac libidinis impunitas, dum contemptu ac malitiâ distenti crepant tandem, ac infelicem animam æternis cruciatibus laniandam profundunt. Iniustus enim quilibet, ait Magnus Gregorius, eò atrociùs in tormentis obruitur, quò altiùs in peccatis cleuatur. Transit, quod extollitur; permanet, quod punitur: & quasi per amena prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit.

liii 3

Quid

Deus humiles & modestos præfert superbis & arrogantibus.

Psal. 137, 6

Isaiæ 66, 1.

Mors docet quàm vanam fuerit superbiorum crudelitas.

Gregor. in lib. Moral.

*Humiles
superborum
supplicio
sapiunt.*

Quid verò despectus atque humilis catellus superborum supplicio superstes? Ab hac sorte vindictæ diuinæ exemptus impiorum ruinam non absque fructu contemplatur: tum quia læsæ Maiestatis diuinæ suppliciis acquiescit, tum etiam quia ex impiorum pœnâ, quid fugere, quid sequi debeat, agnoscit.

*Viuentes
discunt mo-
ri, mori
serò sapiunt.*

Tertiò illud etiam discrimen Ecclesiastes innuit, quòd viuentes, dum assiduè cogitant se esse morituros, & viuere discunt, & mori. Mortuis autem sera nimis est vita craftina, ad quam non perueniunt, mortis autem conditio irreparabilis.

*Mortis me-
ditatio, Phi-
losophia cõ-
pendium.
* mortis
meditatio.
Apuleius.*

En quàm præclarum paucis verbis nobis exhibet Philosophiæ compendium, quæ nihil aliud Græcis est, quàm * μελέτη θανάτου. Nihil enim æquè curandum est Philosopho, ait Apuleius, quàm vt semper studeat animam à consortio corporis separare. & ideò existimandum est, Philosophiam esse affectum consuetudinemque moriendi. Quid est autem animam à consortio & contagione corporis sequestrare, nisi compressis, ac sub iugum missis cupiditatibus congruenter rectæ rationi viuere?

*Ars bonè
viuendi &
moriendi
præstantis-
sima, sed
difficillima.
Lipius in
Senec. de
Brevitate
vitæ.*

Ars proculdubiò præstantissima, sed nullius rei difficilior est scientia. Professores aliarum artium vulgò multi sunt: quinimò quosdam ex iis ita pueri perceperunt, vt etiam præcipere possent. L. Valerius Pudens annorum XIII. certamine sacro Iouis Capitolini inter Poëtas omnibus iudicum sententiis coronatus est. At verò viuere totâ vitâ discendum est: aut, si mauultis, totâ vitâ discendum est mori. Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, cum diuitiis, officiis, voluptatibus renuntiaissent, hoc vnum in extremam vsque ætatem egerunt, vt viuere scirent.

Sed

Sed inter omnia præcepta nullum magis directè in scopum nostrum collimat, quàm vt diebus singulis quasi iudicio sistendi rationum nostrarum summam calculosque subducamus. Itaque sic ordinandus est omnis dies, tamquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam.

Pacuvius, qui Syriam continuato imperio suam fecerat, cum vino & funereis epulis non sibi magis quàm luxuriæ parentauerat, sic in cubiculum efferebatur à cenâ, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur, * *Belizæ, Belizæ*. nullo non die se extulit. Hoc quod ille ex malâ conscientia faciebat, nos ex bonâ faciamus, & in somnum ituri, læti hilaresque dicamus:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.

Crastinum si adiecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie surgit ad lucrum.

Quartò hoc etiam interest inter viuentes & vitâ functos, quòd viuentibus demerendi Numinis tempus, & spiritualis mercatus opportunitas conceditur; *mortui* verò non habent ultrà mercedem, quia in remuneratione bonorum operum tradita est obliuioni memoria illorum. Constans est magnorum Theologorum sententia, tempus meriti mortalis vitæ limitibus circumscribi. Iam nundinæ celebrantur: nisi tempore vtamur, elapsam è manibus occasionem serò deplorabimus. Operamini donec dies est, inquit Christus, *venit nox quando nemo potest operari.*

Expendit hoc momentis suis, vt decuit, eximius in Christianâ Philosophiâ D. Bernardus, dum ait: Nihil pretiosius est tempore, & heu! nihil hodie vilius inuenitur. Transcunt dies salutis, & nemo recogitat corde.

Licet

salutare præceptum, omnē diem velut ultimū inueni.

Seneca Epist. 12.

* Vixit, vixit. Quotidie dicendum est Vixi. Virgil. li. 4. Aeneid.

Viuentes gratiam & gloriam merevi possunt, non item mortui.

Ioan. 9. 4.

Bernardus Serm. ad Scholares. Temporis ratio habenda.

Licet fabulari, inquit, donec hora prætereat. O quid ais, Donec prætereat hora? quam tibi ad agendam poenitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio conditoris indulserat. O quid ais, Donec transeat tempus? quo diuinam propitiare debueras pietatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Quid plura? hoc ipsum tempus est, quod amplissimam gloriæ segetem ac materiam subministrat, in moderandis cupiditatibus, ut & amoris illiciti flammæ castitatis antidoto suffocentur, & odium benevolentiam, inuidia fauore nitescat. O quam nobili & immarcescibili coronâ hæc virtutum exercitia in hac vitâ supremus Agonotheta remuneratur!

*Damnati
nec passio-
nes cohibet,
nec, si cohi-
bere velint,
quidquam
merentur.*

At vitâ functis nulla in his passionibus edomandis exercitatio, nulla pars laudis aut meriti relinquitur. Quid ergo? nullasne persentiscunt flammæ libidinum? quinimò potissimus hic est æterni incendij fomes. Nullasne stimulantur odiis? profectò vlticem Dei manum cane peius & angue execrantur. Nullasne contabescunt inuidiam? certè hoc vnum suorum cruciatuum solamen comminiscuntur, si cuncta secum eadem ruinâ viderint obruta. Sed nec has similesque passionibus domare student, & siquid in edomandis passionibus studij adhibere voluerint, id omni mercede frustrandum: quia, ut ait Ecclesiastes, *tradita est obliuioni memoria illorum.*

Quamnam ergo sorte apud te censentur, ô Deus? Non aliâ sanè quam *sicut vulnerati* multiplici cupiditatum *psal. 87, 6. plagâ. Sicut vulnerati, inquam, dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tuâ repulsi sunt.* O fors calamitosa, sequestrata ab omni fructuosâ mor-

mor-

mortalium functione! O miseri! quibus neque contra
passiones suas & indomitas cupiditates certantibus vir-
tutum præmia supremus proponit Agōnotheta, neque,
si vel amplissima proposuerit, istiusmodi certamen
adlubescit.

Quare dimissis superbis illis leonibus, & contemptis
diuinæ prouidentiae contemptoribus, ad humiles catel-
los reuertamur, eosque soluto animo atque hilari esse
iubeamus: quibus neque confusa hæc rerum huma-
narum perturbatio offendiculo est, neque mortis assi-
dua meditatio alteri vsui, quam cupiditatibus edoman-
dis, animoque virtutibus excolendo, subseruit.

SECTIO QUARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 7. Vade ergo & comede in lætitiâ panem
tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: ^a quia

Deo placent opera tua.

^a LXX. &
Campensis:
quia iam-
dudum cō-
placuerunt.

8. Omni tempore sint vestimenta tua candida,
& oleum de capite tuo non deficiat.

9. Perfruere vitâ cum vxore, quam diligis, cun-
ctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati
sunt tibi sub Sole omni tempore vanitatis tuæ:
hæc est enim pars in vitâ, & in labore tuo, quo
laboras sub Sole.

Kkkk

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

QVICVMQVE indomita necis
 Prudens vulnere prospicis,
 Et ludibria temporum,
 Et sortis dubie vices
 Iusto examine pensas;
 Si virtute praecipans
 Vita praecipitem fugam,
 Mystes Iustitia litas,
 Et mystes Sophia litas
 Casti cordis honore:
 Ut post fata beatius
 Vivat pars melior tui:
 Et quidquid tumulto est super,
 Heres fama per aethera
 Vestet praepete penna
 Tandem corde solutior,
 Securusque operum Dei
 Frontis nubila discute:
 Iamdiu quae geris approbat
 Summi Iudicis urna.
 Cunctis didita ferculis
 Cœnas gaudia condiant,
 Et festas hilarent dapes:
 Euge! quae geris approbat
 Summi Iudicis urna.
 Euge! letitia parens
 Plena fusus amystide
 Curas dissipet Eubius,
 Quando quae geris adprobat
 Summi Iudicis urna.

Præli munere splendida
 Promat arcula Syntheses,
 Omni festa novans die,
 Quando quæ geris adprobat
 Summi Iudicis Urna.

Crinem tingat amaracus,
 Spirent Sidonio gene,
 Stillent cinnama perpetim:
 Euge! quæ geris adprobat
 Summi Iudicis Urna.

Quis te, quis pavidò metu, aut
 Tristi nube supercill
 Coget rumpere gaudia,
 Quando quæ geris adprobat
 Summi Iudicis Urna?

Non te, si trifidâ face
 Terras concutiat fragor,
 Mentis deiiciat statu,
 Quamdiu quæ geris adprobat
 Summi Iudicis Urna.

Ergo vive serenior
 Cum charâ tibi coniuge,
 Quam castis thalamis Hymen
 Castis iunxit amoribus
 Lectam è millibus unam:

Blandi connubij memor
 Vitæ siste volubilis
 Dulci letitiâ rotam,
 Cum iam quæ geris adprobat
 Summi Iudicis Urna.

Vitæ mobilis orbita
 Quamvis nubigenâ face

Kkkk 2

Et

SPECVLI VANITATIS

Et perniciosus alite

Vento precipitet fugam,

Latos exige Soles.

Quamuis vita reciprocis

Semper fluctuet aestibus,

Vt Phœbi instabilis soror

Torquet aquora Nerei;

Latos exige Soles.

Quamuis ludicra vanitas

Sit vita, ac tenuis vapor;

Soles exige candidos,

Quamdiu qua geris adprobat

Summi Iudicis urna.

Hæc sub Sole laboribus

Merces grata rependitur,

Mortalisque beatitas:

Qua, dum carcere claudimur,

Vita tedia pensat.

Hæc tu (dum tumuli memor

Te virtutibus excolis)

Quin fluctus animi domas,

Quando qua geris adprobat

Summi Iudicis urna?

PROSA EXEGESIS.

SI quis huius temporis nouatorum illotis, vt dicitur, manibus, focisq̄ue lutulentis in hunc sacræ Paginæ locum irruerit, is profectò iudicabit, aut Epicurum hîc aliquem insanientis furæ sapientiæ candidatis præcepta tradere, aut Sardanapalum aliquem philosophari, qui hoc solum in lucro ponebat quod voluptati impendebat; cetera mortalium ne casâ quidem nuce redimenda

cense-

censebat. Quid enim potius arbitrentur homines, qui
carni & cupiditatibus patrocinantur, & superficie litte-
ræ arcana Dei mysteria metiuntur?

Sed absit vt Ecclesiasten, id est Oratorem & Concio-
natorem diuinum, Cyrenaicæ philosophiæ doctori
comparem, aut Heliogabalo nescio cui naturæ mon-
stro, qui post mille fastidientis palati commenta, nau-
seante nihilominus adhuc stomacho, ingenti mercede
propositâ in excogitandis nouis obsoniorum condimen-
tis, parasitorum suorum exercebat ingenia.

Cuius genij si quem vestrum esse, aut id sibi persua-
dere existimarem, obiicerem illud, quod in promptu <sup>Bonum
anima
quaren-
dum.
Augustinus
in Psal. 104.</sup> est, D. Augustini antidotum: *Quære bonum tuum, o*
anima Christiana. Summum bonum, hoc est bonum
tuum. *Quære ergo bonum tuum. Quid illi deest, cui*
summum bonum bonum est? Sunt & inferiora bona,
quæ aliis atque aliis bona sunt. Pecori quid bonum est,
nisi implere ventrem, carere indigentia, viuere, & gesti-
re? Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi quid gau-
des? quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bo-
num bonorum omnium. Oblectamenta quæris? Hinc
solum & solidum gaudium, quod cum possederis, nemo
à complexu tuo diuellat. Cui, vt ait Bernardus, <sup>Bernardus
Epist. 114.</sup> omnis
aliunde iucunditas comparata mœror est, omnis suaui-
tas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœ-
dum, omne postremò quod delectare possit, molestum.
Hæc, inquam, obiicerem, si quid hîc esset quod Cyrenai-
cam disciplinam redoleret.

Sed profectò non ea mens est Ecclesiastæ, qui cum in
fronte ptopemodum huius Operis dixisset; *Vadam, &* ^{Eccle. 2, 3.}
affluam deliciis, & fruar bonis, continuò subiecit: *Et vidi*
quòd hoc quoque esset vanitas. & gaudio dixi: Quid frustra
Kkkk 3 *deci-*

*Ecclesiastes
non vitam
Epicuræ,
sed securam
mentis com-
mendat.*

*Sueton. in
Vitellio.*

*Prover. 15,
15.*

*Epula illa
gratiores
quæ epula
non sunt.*

*Vera animi
voluptas
ex virtute
existit.*

*Seneca E-
pist. 23.*

deciperis? Cùm igitur crebra nobis cibi potusque feru-
la proponit, cùm oleum & vnguenta redolet eius oratio,
cùm quotidianum splendidæ vestis vsum præscribit,
non id agit, vt distentâ cute, & constipato ventriculo
vix anhelò spiritu continuam ructemus crapulam, non
vt cum Vitellio Romanorum Imperatore totos dies tri-
cliniis affixi discumbamus, & alternis egerendo inge-
rendoque vino ætatem consumamus. Sed nimirum Al-
legoria ab iis ducta rebus, quæ sensus externos feriunt,
& adagiali quadam loquendi formulâ mentem ab om-
ni curarum tyrannide solutam ac liberam, vitæque tran-
quillæ numquam interpolatam possessionem ductum-
que præscribit. Cùm enim quodam loco asserat, secu-
ram mentem esse iuge conuiuium, quidni etiam per iu-
ge conuiuium toties nobis commendatum securam
mentem interpretemur?

Itaque non absimile quiddam hîc videre videor illi
paradoxo, quod inter cetera fastidientis palati com-
menta posuit Philoxenus, eas nimirum carnes esse sua-
uissimas, quæ carnes non sint, eosque pisces gratissimos,
qui minimè pisces. Sed vt hoc eorum iudicij faciam,
quos palato plus sapere quàm corde dicebat Plato; hoc
certè in re non adeò dispari fidenter adstruam, nullas
epulas suauiores esse, quàm quæ epulæ non sunt; nullum
conuiuium gratius, quàm quod minimè conuiuium.

Hæc est illa solida voluptas animi supra mortalia
erecti, hæc verè serena hilaritas, quæ non tetricam fron-
tem remittit, sed contracti pectoris angustias dilatat,
nec rugas explicat, sed curas. Quæ sit ista, interrogas,
aut vnde subeat? Dicam. Ex bonâ conscientia, ex ho-
nestis consiliis, ex rectis actionibus, ex domitis cupidi-
tatibus, ex meditatione mortis, ex contemptu fortui-
torum,

torum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam.

Neque verò peregrinum aut inusitatum est sacris Scriptoribus, internum spiritus sensum ac gustum, & infusam diuinitus voluptatem, cibi potusque symbolis adumbrare. Quid enim aliud sibi vult hoc Euangelicum epiphonema: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei?* Cui consentanea scribit Propheta Regius, cum ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tue, & torrente voluptatis tue potabis eos.*

Luc. 14, 15.

Psal. 35, 9.

Ac tantundem de spirituali voluptate iustorum in hac vitâ mortali degentium sancti Patres simili formâ verborum extulerunt. Sic enim de orationis oblectamenti loquitur S. Bernardus: Orando bibitur vinum lætificans cor, vinum spiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem. Eodem similitudinis cortice tranquillæ conscientiæ nucleum inuoluit Chrysostomus. Quid tibi de presentibus, inquit, iucundum videtur? nõnne lauta mensa? nõnne diuitiæ? hæc tamen suauius, si interiori voluptati comparentur, amara videntur: nihil enim suauius bonâ conscientia.

Bernardus
Serm. 18.
in Cant.
Orationis
voluptas.
Conscientia
tranquilla
suauius.
Chrysost.
Hom. 63.
ad Populu.

Denique ad istiusmodi voluptates sic inuitat Augustinus: O si potiora gustent ij, qui volentes gaudere forinsecus facilè euanescent, & effunduntur in ea quæ temporalia sunt, & imagines eorum famelicâ cogitatione lambunt! O si fatigentur inedia, & dicant: Quis ostendet nobis bona? Quid autem ostenderes, Augustine? Quoniam tu mihi Domine dulcescere cœperas, & dederas lætitiâ in corde meo.

Augustinus
li. 10. Conf.
fess. c. 6.

Ad similes igitur internas oblectationes, & qui fructus est bonæ conscientiæ, serenitatem animi inuitat eos

Ecclesiastes
ad serenitatem animi inuitat.

Eccle-

Ecclesiastes, qui assiduâ mortis meditatione, crebrisque submissionis ac mortificationis exercitiis vitam suam Deo probarunt. *Vade, inquit, comede in letitiâ panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore vestimenta tua sint candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vitâ cum dilectâ tibi coniuge. & si quæ sunt alia tranquillæ vitæ serenæque symbola.*

*Moderatâ
interdum
genio licet
indulgere.*

Quamquam nihil vetat hîc litterali sensu moderatas etiam corporis recreationes, & vera gustûs oblectamenta commendari. nulla enim suadet ratio, qui Deo chari sunt, eosdem miseros esse oportere. Nemo virtutem invidiâ atque egestate damnauit. Quinimò Deus ipse, cum rudi Hebræorum populo, rebusque externis affixo, leges & instituta præscriberet, quoties sacris operati fuerant, toties ferè hilariter eos genio indulgere iubebat; ita ut in solo Deuteronomio septies, aut eo ampliùs, hæc verborum formula reperiatur: *Epulabimini coram Domino. Et adorato Domino Deo tuo epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Cui enim potiùs (adhibito semper rationis moderamine) Dei dona subseruiant, quàm ei, quem inculpata vitæ merito, paterno præ ceteris affectu curaque complectitur? Aut quorsum vir iustus ac sapiens, cuius labores diuina bonitas centuplici messe cumulauit, à fructu laboris sui tamquam à sacris absteineat manum, geniumque defraudet? vix enim alium in hac vitâ mortali fructum nobis pariunt hæc quæ vocantur fortunæ bona. Sed ne quis existimet, hominem voluptatibus tamquam balneo se posse immergere, totumque in cute curandâ studium collocare, saluberrimum huic persuasioni obiecit antidotum.

Deuter. 26.

SECTIO QUINTA.

ECCLESIASTES.

VERSUS IO. Quodcumque facere potest manus tua, ^{a Venia:} ^{fac pro} ^{vili. LXX.} ^{prout virtus} ^{tua.} instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

METRICA PARAPHRASIS.

DVM cana gremium gelu Cybelles
 Riphæis Aquilonibus reuincit,
 Et vellus tacite ruens aquai
 Plantas suppressit aridis sub undis,
 Frustrâ lilia candidis labellis,
 Iridemque, rosamque, calthulamque,
 Narcissumque, & amaracum requiras.
 Dum nox lurida nubiloque vultu
 Terris omnibus abstulit colores,
 Et silent fora, curiaque murmur,
 Et vanis Icelon, volans per umbras,
 Somnos ludificat leues figuris,
 Frustrâ rauca negotiationis
 Solus compita, Mercuri que calles
 Pernox exigui procius lucelli
 Nocturnâ terat ambulatione.
 Tu, si quid sapias, incubasque lucris,
 Si rerum satagis catus tuarum;
 Ne dum temporis incita flagello
 Phæbi precipitant fugam quadrigæ,
 Nox te somnifera occupet, cauto:
 LIII

Nox

Nox salutiferis iniqua curis,
 Nox delensifico inuidens lepori,
 Fluxa gaudia demetens iuuenta.
 Viue, dum pote, quæstuique ducas,
 Quod præsens tibi dedicabit hora.
 Sera est crastina vita, viue iam nunc:
 Et fati memor, inclytos labores,
 Condendos Sophiæ penu labores,
 Virtutum obsequio sacros labores
 Non segni propera manu: tibi que
 Fama materiem, viaticumque
 Morti congere, postumisque sæclis;
 Et vita decus occipe æuterna.
 O quantum est hominum beatorum!
 Quid cordatius hoc beatiusque est,
 Qui leni zephyro citatoris
 Dextra temporis arripit capillos?
 Optatis inbians propola lucris
 Signat tempora nundinationis:
 Tu quin mercibus impleas phaselum,
 Antè quàm fugitiuus orbis exul
 Ad manes properes inane vulgus?
 Non illic operi reposta merces,
 Non menti ratio facem ministrat;
 Non ornat Sophiæ iubar clientes,
 Non virtus meritis nefas adequat,
 Aut vllam sceleri facit medelam.
 Non si millia mille lacrymarum,
 Deplorabilemque lacrymarum
 Luctus è scatebris gemens profundas,
 Et tot millia mille lacrymarum,
 Quot rores Hyadum cadunt ocellis

*Verna in gramina, gemmeosque campos,
Noxas elueris prioris aui.*

PROSA EXEGESIS.

SI ad metam huic mortalitati præstitutam fatalis nos
vrget à tergo necessitas, eoque magnis passibus con-
tendimus, vbi neque promerendæ in posterum gratiæ
ac misericordiæ diuinæ, neque amplificandæ virtutum Mors im-
minens
monet vt
tempus
utiliter ex-
pendamus. accessione gloriæ, facultas vlla sit reliqua; cuius focor-
diæ tandem est, vel potius dementiæ, ignauiâ dissolui,
voluptatibus obbrutescere, plausibiles nugas, vanaque
ingenij oblectamenta sectari, denique aut inertis otio
computrescere, aut otio deterioribus distringi negotiis?
Etiam si multum superesset ætatis, parcè tamen dispen- Vide Se-
necam
Epist. 49. sandum erat, vt sufficeret necessariis. Quænam ergo
tam stolidæ lubentia est in hac temporis egestate, an-
gustissimisque vitæ terminis in ludicra & superuacua
maiorẽ eius partem erogare?

Quis non insanire existimaret eum, qui cum arietes Homines
ignauis
presens
mortis pa-
riculum
negligunt. portas sternerent, hostilia in muris tela vibrarent, ipsum
solum suffossionibus & cuniculis tremere, neglecto
tam præsentis periculo, aut otiosus desideret, aut muscas Sueton. in
Caligulâ.
cum Caligulâ captaret? Si quis stertentem te ad incen-
dium domus tuæ iam iamque totis tectis erupturum
vocaret, an conuerso in alterum latum corpore, nouo
somnia velificares? an non potius è lecto exiliens omni
sedulitate, restinguendis ignibus temet impenderes? At-
qui non minori in periculo versamur quotidie, neque
segniori passu vitæ nostræ vestigia in exitium nostrum
armata mors premit.

Errat qui in nauigatione tantum existimat minimum Mors om-
nibus im-
minet. esse, quo vita morsque determinantur. Sed & nimium

LIII 2

assignat

assignat spatij, qui duorum digitorum tabulam inter-
esse pronuntiat. In ipsis visceribus corporisque pene-
tralibus mortem subinde circumferimus. Denique ni-
mis angustis limitibus vitæ pericula circumscribit, qui
maris fluctibus ea contineri censet: in sicco tempestates
nos quandoque excipiunt, & fluctus intra domesticos
parietes, haud paulò marinis sæuios.

Quid igitur consilij? Verbo complectar. Nescis quo
loco te mors expectet: tu igitur eam omni loco expecta.

*Omnia vi-
ta dies
tamquam
ultimus
habendus.*

Nescis quis tibi supremus vitæ futurus dies: tu igitur
omnem tibi supremum crede diluxisse; & tamquam si
huius vnus vsura tibi concedatur, *quodcumque poterit
manus tua instanter operare: vel, vt alij vertunt, fortiter &
efficaciter operare: & quia nescis quamdiu superfuturus
sis, etiam constanter operare.*

*Celeriter
virtuti in-
cumbendū,
& occasio-
ne utendū.*

Tria igitur in opere nostro requirit Ecclesiastes, cele-
ritatem, virtutem, & constantiam. Celeritatem com-
mendat ipsius meriti ac mercedis bonorum operum
conditio, quam huius præsentis, id est momentaneæ
vitæ angustiis limitatam, magni nominis Theologi
censuerunt, & è sanctis Patribus D. Hieronymus, dum
ait: Tempus sementis, tempus præsens est: vbi occide-
rit hæc breuis lux, benè agendi tempus præterit. Et
Nazianzenus vitam hanc ait instar esse nundinarum,
proindeque prius vtendum occasione, quàm mercandi
tempus elabatur.

*Hieron. in
cap. 6. ad
Galat.*

*Nazian. in
Iambicis.*

Sed nimium oscitantibus indulget, qui vitam hanc
ait instar esse nundinarum: habet enim aliquid nun-
dinarum indictio præsentis vitæ præstabilius; certo
enim statutoque dierum numero & indicuntur & ce-
lebrantur: facile est autem, quamuis exiguum, fru-
ctuosè dispensare quod certum est; illud occupandum
est

est diligentius, quod nescias quando deficiat.

Itaque maxima vitæ iactura dilatio est. Ibit quæ cœ-
pit ætas, nec cursum suum aut reuocabit aut supprimet:
nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suæ;
sed tacito pede, vt ait Poëta, labetur. Quid igitur cun-
ctaris? quid cessas? Nisi occupas, fugit: & cum occu-
paueris, nihilominus fugiet. Itaque cum celeritate tem-
poris, vtendi velocitate certandum est: & velut ex tor-
rente rapido, nec semper casuro, celeriter hauriendum.

Si vitæ ad omnem honestatem reformandæ consilia,
si virtutum studia, si opera pœnitentiæ in futuram,
aut nunquam fortasse futuram senectutem distuleris;
Deus bonè! quanta voluptatibus ac flagitiis immersum
nec opinantem opprimet cælestis vindictæ tempestas!
quanta in extremo vitæ margine constitutum incesset
desperatio!

Nihil id opus à me pluribus confirmari, cum nemo
sit, qui ignoret famosum illum, nec vitiis minùs quàm
diuitiis nobilem Chrysaorium: qui cum vitam super-
biâ ac libidinibus contaminatissimam duxisset, sanaque
consilia auersatus fuisset, morbo ad extrema perductus,
cum exitio suo imminentes vidisset iustitiæ diuinæ fa-
tellites, his vocibus frustra repetitis, Inducias vel vsque
manè, Inducias vel vsque manè, ad inferorum supplicia
raptatus est. Quid Imperatorem Copronymum com-
memorem? qui post abominandas libidines, & atroces
in Deiparam Sanctosque blasphemias, moriturus excla-
mavit: Viuens æternis ignibus traditus sum. Et nos in
Flandriâ nouimus mulierem veneficam, in quâ ad sa-
nam mentem reuocandâ cum frustra sudatum esset, ac-
censâ tandem pyrâ desperabunda ac semiuustulata cla-
mavit: Ab his flammis pergo ad flammam æternam.

Seneca de
Bruit. vitæ
c. 8. & 9.

Occupan-
dum tem-
pus fugi-
tium.

Quam no-
xia sit di-
latio bono-
rum ope-
rum.

Greg. 1.4.
Dialog.
cap. 38.

Theopha-
nes, Cedre-
nus, & alij.

August.
Serm. 72.
de diuersis.

Ex quibus hoc primùm conficitur, quàm sit omnis in negotio salutis perniciofa procrastinatio. Deinde, hoc etiam impio grauiffimum supplicij genus à Deo infligi, vt internis domesticisque furiis in desperationem actus, in morte obliuiscatur fui, qui dum viueret oblitus est Dei.

Studia vir-
tutum non
languida
sed genero-
sa esse
debent.

Maneat igitur, quod monet Ecclesiastes, antequam è manibus tempus elabatur, instandum esse operi, vitæq; fugam actionis assiduitate sistendam. Nunc alterum etiam eodem auctore requiritur, ne elumbes sint aut enerves actiones nostræ, ne remissa sint aut euanida virtutum studia, ne languida & effœta salutis desideria. Sunt enim nonnulli, qui generosa heroum facinora meditari videntur, & magna de se promittunt, sed cogitationes eorum mera sunt vigilantium somnia. Cùm enim fatalis hora mortalitatis huius soporem discussit, nihil in illis generosum, nihil viro dignum reperitur, nullæ perdomitæ cupiditates, nulla de seipsis victoria, nullus de mundi fastu, carnis illecebris, cacodæmonis insidiis triumphus. Itaque aut Plautino Pyrgopolinici similes sunt, qui vel solo spiritu hostilem difflaturus exercitum videbatur, cùm esset ignauiffimus; vel potius pictis in tabulâ aciebus, quæ perpetuò strictis mucronibus inuicem minantur, sed numquam feriunt.

Plaurus
Mil. glor.

Sunt alij qui vultu ac verbis pietatem spirare videntur, qui cælestes animo fouent conceptus, qui melioris vitæ parturitione suspirant. Sed quid ad rem? Semper vterum gestant. *Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi.* Quid autem prodest concepisse, si fœtus in vtero suffocatur? quid prodest animam gestare desiderijs grauidam, si numquam ad perfectionem boni operis semianimes illi ac mutili fœtus adolefcunt? Certè

Isaie 37, 3
Bona desi-
deria &
proposita
ad effectū
perducenda
sunt.

Certè cùm ante tribunal supremi Iudicis elumbes illi pugiles, vterique piis desiderijs grauidi comparuerint, tantum abest vt donatiuum aliquod sperare possint, vt potius horrendo illo Væ percellendi sint, quod effeminatis illis vterum semper gestantibus Christus interminatur, cùm de vastitate ac solitudine Ierosolymæ, orbisque excidio vaticinans ait: *Væ autem pregnantibus* Matth. 24. 19. Hieron. ibidem. *& nutrientibus in illis diebus. Væ illis animalibus, inquit diuus Hieronymus, quæ non perduxerint genimina sua, id est pia desideria, in virum perfectum.*

Quid igitur consilij hoc potissimum loco ac tempore? Nihil mihi occurrit præsentius, quàm vt illud assiduâ meditatione ruminemus, quod suggerit Ecclesiastes, eò nos vel inuitos rapi, cursuque nunquam interpolato properare, vbi nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia in spem præmij aut mercedis acceptantur. Hinc enim futurum est, vt tantò hîc impensius occasione inuigilemus, & ad laudem veræ perfectæque sapientiæ totis animi corporisque viribus connitamur.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. II. Verti me ad aliud, & vidi sub Sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam: sed tempus casumque in omnibus.

METRICA PARAPHRASIS.

DVM *Cimmerius mens caca stupet*
Mersa tenebris, dum sollicita

Tedia

Tædia vitæ, dumq̄ue ancipitis
 Tædia fati mæsto tacitus
 Corde voluto; subiit tristes
 Rapidis curas spargere ventis.
 Sed dum lassum conuerto caput,
 Meq̄ue à tetricis auoco curis,
 Et nunc his, nunc pascor in illis,
 Quæ Phæbæis subiecta rotis
 Rutilo Titan lustrat ab axe;
 En noua mentem tædia pulsant,
 Cerno ancipitis stolido casus
 Subdi arbitrio præmia recti:
 Ac frustrari plerumque suo
 Fine labores. Non qui clarus
 Puluere Pisæ leuior Zephyris,
 Leuiorq̄ue Notis, cursu anteuolat
 Fulminis alas, meritâ cingit
 Daphnide crines. Nisus quondam
 Littore Siculo cursu melior,
 Dum præ sociis exultat ouans,
 Sanguine rapidos fallente pedes,
 Palma Euryalo præmia cessit.
 Quid Mauortis prælia memorem?
 An magis anceps alea mundo est?
 Quoties fortes exosa manus
 Palma refugit? Quoties lacrymis
 Sors sedauit bruta triumphos?
 Centaurorum magnus alumnus
 Phthius Achilles, licet Hectoreis
 Truncum exuuiis vestisset ouans,
 Paridis iaculo confosus humum
 Ore momordit. Quid quod & Abnen

Martius

Martius Heros lauro suctus
 Redimire comam, cæco fossus
 Mucrone latus, vitam exhausto
 Sanguine fudit? Quid duo referam
 Fulmina belli, natum atque patrem,
 Gelboa quorum funera planxit?
 Heu! nil fas est fidere nervis.
 An fors Sophia potiora manent
 Præmia mystas, aut qui varias
 Excoluerunt corda per artes?
 En Samuelis despecta iacet
 Inchyta virtus: & cui cæli
 Calculus amplum dedit imperium,
 Hunc destituit fauor Isacidum.
 Et quot claros Palladis arte
 Præsit egestas? Et Castalij
 Quos pulchra chori vehit aurato
 Per inane vagum gloria curru,
 Hos abscondit trita lacerna:
 Et quos virtus inserit astris,
 Affligit humo cura pecull.
 O fatorum densis series
 Mersa tenebris! Tantùmne datum est
 In terrigenas sorti imperium?
 An sub densâ fati nebulâ
 Ludum hunc terris ludere gestit
 Arbiter orbis?

PROSA EXEGESIS.

ITÀ profectò se res habet: nihilque est in istâ totius
 creaturæ amplissimâ quadam immensaque Republi-
 cã, ait Augustinus, quod non de interiori atque intelli-
 gibili

Augustinus
 lib. 3. de
 Trinit. c. 4.

M m m m

gibili aulâ summi Imperatoris aut iubeatur, aut permit-
tatur. Quod dum vulgus hominum non satis expendit,
non minus frequens, quàm in speciem plausibilis, con-
tra Auctorem naturæ passim auditur expostulatio. Quis
enim industriæ humanæ locus relinquatur, si fortuitis
casibus cuncta permiscantur? Aut quis locus est sapien-
tiæ, si, ut ait Liuius, fortuna plus humanis consiliis
poller? Atqui verissimum esse, quotidiana docet expe-
rientia, quod ait Comicus:

*Fortuna
sape plus
potest quàm
consilium.
Liuius De-
cad. 5. l. 4.*

*Plautus in
Pseud.*

*Fortuna
sape plus
potest quàm
robur cor-
poris.*

*Cicero pro
Milone.*

Centum doctum hominum consilia; sola hæc deuincit Dea.

Nec magis corporis robur ac nerui, quàm animi vi-
res fortunæ prævalent. Quis enim ignorat ancipites
belloꝝ casus, Martemque communem, qui sæpè spo-
liantem iam & exultantem euertit & perculit ab abie-
cto? Et sanè vidimus nonnumquam exiguo planè mo-
mento strepitus alicuius temerè concitati, aut Panico
terrore ab illâ rerum humanarum dominâ palmam è
manibus victoris extorqueri.

*Fortuna
semper for-
tuna, siue
similis sibi
sit, siue dis-
similis.*

*Plutarch. in
Sertorio.*

Nec eodem semper modo per orbem fortuna gra-
fatur. Interdum effectuum dissimilitudine suspendit
animos, omnemque vim consultationis enervat. Inter-
dum similitudine casuum sibi ipsi dissimillima nescio
quo modo naturam extulisse, & fatalem quamdam ne-
cessitatem induisse videtur. Notat Plutarchus, duos
olim Atties illustres fuisse, Syrum vnum, Arcadem al-
terum, vtrumque ab apro interfectum: rursus ex duo-
bus Actæonibus alterum à canibus, alterum ab amato-
ribus discerptum: duos fuisse Scipiones, quorum alter
Carthaginem debellauit, alter excidit: ter captum
Ilium, primum ab Hercule, propter equos Laomedon-
tis; deinde ab Agamemnone, per equum durateum;
tertiò à Charidemo, equi lapsu in portâ: ex præstantissi-
mis

mis bello ducibus, & qui res maximas calliditate gesserunt, altero oculo caruisse, Philippum, Antigonum, Annibalem, & Sertorium. Nonne hanc effectuum similitudinem fatali necessitati propemodum adscribas, quam tamen fortuito variarum causarum occurfu certum est contigisse?

Sed siue adumbratâ fatorum similitudine fors nobis illudit, sic omne consilium industriamque penitus euertit; siue (quod verius arbitror) in solâ constans est inconstantiâ, sic magis ancipites inopesque consilij suspendit.

Hinc factum est, vt cùm rebus humanis olim Fortuna præsidere crederetur, eiusque petulanti arbitrio cuncta fursum deorsum permisceri, bonos vexari, improbos extolli, ad huius aras potissimum se supplicabunda prostrauerit antiquitas, hanc statuis erectis diuinitati consecrarit, huius potissimum Numen votis muneribusque studuerit demereri. Et quidem Bupalus apud Smyrnæos, teste Pausaniâ, primus statuam Fortunæ erexit, capite polum, alterâ manu, quasi rerum omnium dominam, cornu copiarum gerentem. Porro apud Romanos, auctore Seruio Tullio (quod ab illâ è seruitute in regnum esset euectus) tam impensè culta fuit, vt successu temporis ædem Fortunæ Malæ ac Detestatae in Exquilis, & Fortunæ Fortis in ripâ Tiberinâ, & Equestris iuxta theatrum, & Paruæ, & Virginis, & Virilis, & Obsequentis, & Primigeniæ, & Conuertentis, & Auertentis, & Dubiæ, & Barbatae, & Muliebris, in variis Urbis regionibus consecrarint.

Ridiculè profectò, inquit D. Augustinus. Cùm enim Deum non nisi bonum existimare debeamus (ipso etiam Platone cum aliis Philosophis, rerumque publica-

Fortuna ab antiqua impensè culta.

Pausanias lib. 4.

Lud. Vites in c. 18. l. 4. de Ciuitate Dei.

Augustinus lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 18.

*Fortuna
incassum
ab antiquis
cultis.*

rum rectoribus adstipulante) quomodo Fortunæ & ædes, & ara, & sacra, & Numen adstruitur, quæ nunc Mala & Detestata, nunc Conuertens, nunc Auertens, nunc Dubia describitur? Aut quomodo vniquam bona est, quæ nullo iudicio ad bonos venit & malos? Quorsum autem colitur, quæ ita cæca est, & passim in quoslibet incurrens, vt cultores suos plerumque prætereat, & suis contemptoribus adhærescat? Aut si quid eius cultores proficiunt, iam non fortuito venit, sed merita sequeatur. Vbi nunc ergo nomen eius à fortuitis casibus inductum? Nihil enim prodest eam colere, si fortuna est: sin autem cultores suos discernit vt profit, fortuna non est.

*Seneca E-
pist. 16.*

Et hæc quidem vanitas Ethnicorum apud Christianos non difficulter exploditur. Sed restat alter scrupulus, qui non paucos apud Senecam torquet, qui non minorem à casu & fortunâ, quàm à fato laqueum humanis actionibus liberoque arbitrio necesse arbitratur. Quid, inquit, mihi prodest Philosophia, si fatum est? Quid prodest, si Deus rector est? Quid prodest, si casus imperat? Nam & mutari certa non possunt, & nihil præparari potest aduersus incerta, si aut consilium meum Deus occupauit, decreuitque quid facerem, aut consilio meo nihil fortuna permittit.

*Non est cu-
riose dispu-
randū quid
fortuna
possit aut
providen-
tia.*

Duo potissimum hinc respondet. Primò ictum declinando, Non est, inquit, in hanc disputationem transeundum, quid sit iuris nostri, si providentia in imperio est, aut si fatorum series illigatos trahit, aut si repentina & subita dominantur. Scio hac in parte Stoicos caliginem passos, vt hæc non satis cum libertate arbitrij conciliare potuerint, sed Christianis Theologis negotij nihil est hæc inter se concordie fœdere colligare. Sed non est huius loci hanc telam ordiri.

Itaque

Itaque secundò respondet Seneca: Siue nos inexorabili lege fata constringunt, siue arbiter vniuersi Deus cuncta disponit, siue casus res humanas sine ordine impellit & iactat; philosophandum est nihilominus: Philosophia tueri nos debet. Quid autem subsidij præbebit? Illud nimirum constantiæ tranquillitatique fundamentum, semper de fortunâ cogitare, & nihil sibi de fide ipsius promittere. Sic enim fiet, vt nos minùs afficiat, si quid inopinati casus inciderit. Minùs enim iacula feriunt quæ præuidentur, ait D. Gregorius; & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Neesse est enim leuiùs ad animum peruenire destituta cupiditatis dolorem, cui successum vtique non promiseris. Itaque nihil præter voluntatem, appetitum, consilium eueniet sapienti: quia cum exceptione fortuiti casus omnia facit aut conatur; & nihil eorum quæ aduersari possunt, non est ei præmeditatum: semper enim præsumit animo, posse aliquid interuenire quod destinata perturbet. Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere.

Et hæc quidem satis dilucidè, naturâ ipsâ facem prælucente, dicuntur; sed addo tertium responsum è Christianâ Theologiâ depromptum: nimirum in hac ipsâ mundi (vt apparet) ataxiâ nihil esse fortuitum, nihil casu euenire, si prouidentia diuinæ consilia pensitemus. Quidquid enim casu fit, temerè administratur. Atqui temeritati nihil in regno prouidentia licere, pluribus explicat D. Augustinus, & habemus huius veritatis experimenta certissima in sacris Codicibus. Quid enim magis fortuitum dixeris ipsâ sorte, quàm, missis in vnam tribuum calculis, Rex Israëlitici populi renuntiatus est Saul? & tamen tantò antè diuino admonitu à Samuele in Re-

Sapiens fortuitos casus habet præmeditados.

Gregorius Hom. 5. in Euangelia. Seneca de Tranquill. c. 13.

Vide Stoicorum Sermonem 262.

Seneca. li. 4. de Benefic. c. 34.

Deo nihil est in mundo fortuitum.

Augustinus l. 83. Questionum, quæst. 34.

Arist. lib. 2.
Physic. c. 6.

gem fuerat inunctus. Et si casum vocamus eum, cum quid præter intentionem accidit iis qui alicuius gratiã operantur, quid magis alienum contingere potuit ab intentione filiorum Israël, dum innocentem Iosephum Ismaëlitis vendiderunt, quàm ut fratrem Regio diademati proximum in Ægypto conspicerent? & tamen hanc illi dignitatem post varios casus, vitæque ac famæ pericula in solatium suæ gentis diuina prouidentia destinauerat.

Boët. lib. 5.
de Consol.
Metri. 1.

Sic quæ permixtis fluitare videtur habenis,

Fors patitur frenos, ipsaque lege meat.

Exposui quid in hac vitâ sit acerbitalis ac molestiæ, propter varios incertosq; casus, & ex verâ Christiana que Philosophiã nonnihil adhibui temperamenti: nunc cum Ecclesiaste non minùs ancipites esse mortis quàm vitæ casus ostendamus; ut ex huius etiam acerbitalis meditatione aliquem deinceps fructum carpere possimus.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 12. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit.

METRICA PARAPHRASIS.

QUID breues longo iaculamur arcu
 Multa, quæ sortis dubiæ rotatu
 Tempus inuoluit, fragili que vitæ
 Inuidet hora?

Heu!

Heu! nimis cacos rapiunt futuri

Fata: nec canos Lachesis moratur.

Prima, que vitam tulit, imminutam

Clepsydra carpsit.

Qualibet letho præperatur atas;

Mors nouam semper trahit atra mæsti

Syrmatidis pompam, premiturque denso

Funere funus.

Nec moram rugis trahit alma virtus,

Eila nec pensis adicit Sororum:

Omne fatorum mouet vna nomen

Lege citatum.

Moribus Mosen superes, Aronem

Insulâ & cultus pietate vincas,

Corde Samsonem impanido laceffas;

Victima fati

Occides. O si liceat vel istud

Nesse, que finis tumulum minetur!

Sed volat furuâ cooperta palla

Mortis imago,

Subdolas texens pedicas sub umbris.

Fata que vitent homines in horas

Non satis cautum est. Siculi procellas

Nauta Pelori

Horret, & cæco scopulos latentes

Gurgite: ast illi populata puppes

Flamma deprenso mediis sepulchrum

Condet in vndis.

Miles intentus furis Gradui,

Fata in hostili meditatatur ense:

Ast in hibernis genio litantem

Inter amicos

Ædium

Ædium præceps tumulat ruina.
 Quid feram sicas nemorum, necisque
 Conscios saltus? quid hiulca seuis
 Nubila flammis?

Qualibet morti famulatur hora,
 Ac velut pisces vitrei profundi
 Incolas hamo latitante inescans

Linea fallit;

Aut velut turmæ laqueos volucris
 Nescit aprico nemorum recessu, aut
 Flexili viscum salici dolosus

Allinit auceps:

Mille sic fatum pedicis labantes
 Induit gressus generis Promethei.
 Quis satis lethi sinuantis arcum
 Spicula vitat?

Dum vacat festis dapibus Gomorrha,
 Et face accensâ canit hymenæos,
 Sulphuris nimbus latices Lyeos

Miscet, & arctos

Fulmen amplexus medium reuellit.
 Quid Thetin mundi scelus expiantem,
 Quidve Noëâ celebrata puppi

Secula dicam?

Cum vagos saltus, tygridumque lustra
 Sæua texerunt freta, cum recepit
 Squammeum nido pecus hospitali

Fulminis ales.

Ite mortales, date vela votis,
 Et voluptatum series in annos
 Nescite æternos: malè ducta rumpent

Stamina Parca.

Nescies, vita properatus exul,
 Hora fatalis tibi que minetur:
 Ergo fatalem sapienter omnem
 Duxeris horam.

PROSA EXEGESIS.

NON omnino infulsè, tametsi non vsquequaque Christianè, philosophatus est quicumque dixit: Omnis vita supplicium est, quam nemo (si Senecæ credimus) acceptaret, nisi daretur ignaris. Nam præterquam quòd in regnum Fortunæ durum atque inuictum nos compactos existimat, illius arbitrio digna atque indigna passuros (Fortunæ inquam, quæ, uti Sectione præcedenti vidimus, variis nos fluctibus iactatos, diu inter vitam mortemque detinet, & ut libidinosa ac fastidiosa, mancipiorumque suorum negligens domina, pænis præmiisque nullo delectu exercet) illud tandem ad cumulum malorum accedit, quòd variis casibus concussos inexorabili mortis imperio transcribit: quæ impotentem in omnes dominatum exercens, non minùs incerto exitu mortales torquet, quàm dubiis vitæ periculis illa vexauerat.

Seneca
 Consol. ad
 Marciam,
 cap. 22. &
 cap. 10.
 Vita hæc
 acerba est.

Etenim siue decretorium illud ac fatale momentum perpendas, à solo Dei nutu dependet; nulla senectus hoc sibi vindicat, nulla florentis ætatis prærogatiua differt: siue genus mortis; id ita varium est ac multiplex, ut nihil sit in hac vitâ, quod incolumitatem nobis ac salutem spondeat, nihil in oculos incurrat, quod non meritò nos timore percellat.

Mortis re-
 pus est ge-
 nus incer-
 tum ac va-
 rium.

Mille ad mortem patent viæ, nulloq; non calle mors laqueum aliquem abscondit. Quidquid aut allicit cupiditates, aut detinet, viscum existima: quidquid aut ocu-

Mors ab
 omni parte
 imminet.

Nnn lis

lis blanditur, aut palato sapit, escam esse fatalem cogita mortis hamis, quouis gurgite pendulis, obductam.

Prætermitto nunc vsitata illa, quæ inimicitias cum vitâ humanâ profitentur, morborum luem, bellicas clades, maris tempestates, ædium conflagrationes, carnificum tormenta. Illud potius monendum censeo, tunc magis luctuosa esse funera, cum per insidias mors & cuniculos grassatur; nec vllam sperari posse securitatem, vbi tempus, vbi locus, vbi familiares, vbi corpus ipsum, imò & animus famulare morti præstat obsequium.

*Omne
tempus
morti ser-
uit.*

Primum enim, quòd tempus morti præmaturum esse putamus, cum non ignoremus, quot infantes ne vnicum quidem diem adspexerint, sed post vnius noctis vsuram, æternum in vtero materno sepulchrum inuenerint? Deinde, si quis in vitâ dies à luctu funeris exemptus, si quis boni ominis haberi, festoque conuiuiorum apparatu celebrari consuevit, is apud plerasque nationes fuit dies natalis: & tamen Pergameno Regi Attalo, Pompeio, Cæsari, Augusto, & ex nostris magno Pontifici Gregorio, & magno Imperatori Carolo eundem & natalem diem & fatalem fuisse accepimus.

*Plutarc. in
Camillo.
Sabel. l. 9.
c. 4.
Ioannes
Diaconus.
Crantzius
lib. 2. Sax.
c. 20.*

*Omnis oc-
casio mori
est oppor-
tuna.*

*Luc. 16.
Suidas in
Const.
Propert. l. 3.
Eleg. 18.
Iud. 4.*

*Nullus lo-
cus morti
est impor-
tunus.*

Sed neque mollia fandi tempora captare solet hæc Rhadamantæa legum suarum vindex, vt nobis diem dicat; sed omni temporum discrimine neglecto, aut mediis se voluptatibus interserit in Epulone Evangelico, aut honoris cursum sufflaminat in Crispo Constantini filio, aut pubescente iam ætatis vere flosculum demetit in Augusti nepote Marcello, aut breuem somnum cum æterno connectit in Chananæo Principe Sifarâ.

Quid quòd nullus etiam locus importunam hanc sui iuris exactricem excludit? Nam neque pudor obstitit, quò minus olim in gremio Timandræ meretricis confoderetur

foderetur Alcibiades; neque læta cœnaculi facies prohibuit, quò minùs eiusdem ruinâ oppressis Philisthinorum Satrapis, lætitia in funebres luctus verteret; neque sacrosancti Templi religio Banaïam coërcuit, quò minùs in ipsi adytis Ioabum obruncaret; neque fractum ætate Priamum à violentis Pyrrhi manibus tutata est ara Iouis Hercæi.

Plutarch. in Alcibiade. Ind. 14.

3. Reg. 2.

Virg. Aeneid. 2.

Sed quid ego loca nullo sensu prædita in crimen voco, cum inter homines neque iura connubialia, neque reuerentia sanguinis, quæ duo potissimum amorem conciliare & securitatem spondere solent, nefarios ac sceleratos à mutuis vulneribus ac cæde deterreant? An non ille tot populorum rector Agamemnon, de exciso Ilio triumphans, vxoris suæ Clytemnestræ mucrone percussus occubuit? An non Cambleta Lydorum Regem eò peruenisse voracitatis accepimus, vt vxorem, instar beluæ cuiusdam, dentibus lanïauerit.

Homo homini causa mortis, nullo sanguinis aut connubij respectu.

Athen. l. 13 cap. 1.

Athen. l. 10. c. 1.

Quid nunc iura sanguinis despecta commemorem? Quis enim Thebanos fratres ignorat, Etheoclem & Polylicem, mutuis vulneribus corruisse, & ita quidem, vt in ipso rogo rediuiuas flammæ simultates exercuerint?

Nec frater fratri parci.

Stæsius in Thebaide.

Sed neque reuerentia sanguinis obstitit, quò minùs in templo Nesroch filiorum manibus obruncaretur Senacherib. Neque parturientis vteri labores Orestem flexerunt, quò minùs fatali sicâ matri suæ Clytemnestræ vicem redderet.

Nec filij parentibus.

4. Reg. 19.

Sophocles in Electrà.

Quid autem parentes? an ab hoc scelere manus abstinuerunt? Certè religiosissimus iuuenis Hermenigildus impij patris mucrone confossus est. Et ne sola detestabilis sit Medea, fecit obsidio Ierosolymitana sub Tito, in quâ matres non pauca, cum crudelitate Medeam exæquassent, hac insuper immanitate superarunt, quòd

Nec parentes filiis.

Ritius

Neapol.

l. 1. Reg.

Hisp.

Hier. l. 1.

comen.

in Lament.

Jeremias.

ventrem maternum filiorum carnibus saginarunt.

Quòd si nec à filiis parentes, nec à parentibus tuti sunt filij; cuius non aliquando manus aliquod morti obsequium præstituras existimamus? Quid dico manus? cùm nihil in hoc vniuerso reperiat, quod non aliquem mortis laqueum contineat. Si longa fames exitium minatur, Childericus Saxo nimia cibi oppletione suffocatus est. Si à ventris ingluuie perniciem metuis, fame eò redactus est Erisichthon, vt propria membra deuorarit. Si sitim perniciosam credis, nimio vini potu phrenesim, adeoque mortem accersuit Alexander. Si à potu appetitum coërces, nimia siti in theatro periit Thales Milesius.

Etiam contrarius ex causis mors aditum inuenit.

Greg. Turonensis. Ouid. l. 8. Metam.

Plutarch. in Alex. Laërtius lib. 1. c. 10.

Infinitus hîc sum, si innumeras terrâ marique mortis insidias recensere voluero. Ipsum tantummodò hominem intuemini. Quot mortis laqueos non in corporis tantum morbis, sed etiam animi perturbationibus sibi ipse circumfert? Nam, vt corporis affectiones, tamquam morti familiares, præteream, quis ab animo, qui suapte naturâ immortalis est, violentas, vt ita dicam, vitæ manus iniiciendas timeret? & tamen nonne Harpalice Iphicli amore contabuit? Annon Dido, amore in odium verso, post diras & maledicta, vitæ tædium violentâ manu abrupit? Quid Chilo Lacedæmonius? annon filium in Olympicis victorem complexus, gaudio exanimatus est? Contrà Oenone, conspecto Paridis cadauere, mœrore contabuit, geminumque funus eidem rogo tradidit. Quid impotentis iræ vires commemorem? quâ percitus Bohemiæ Rex Wenceslaus, dum pincernam cupit interficere, paralyti extinctus est. Contrà nimio risu Chrysippum ferunt exanimatum. Denique Nabal Ziphæus, nuntiata Davidis irâ, timore dirigit:

Momo sibi ipsi multipliciter est causa mortis.

Athen. l. 14 cap. 6. Virg. Aeneidos 4.

Plin. lib. 7. cap. 32. Dictys l. 4.

Cromerus lib. 18.

1. Reg. 16.

&

& Diodorus Cronus, cum ad Stilponis quaestionem responsum in promptu non haberet, pudore suffusus concidit. Ex quibus manifestum est, nullam animi perturbationem suo vacare periculo.

His si nubium fragores & fulminum iacula, si exundationes Oceani, si terrarum concussiones adieceris, quis in tot tantisque terroribus, tot insuper laqueis circumseptus, animo securo poterit infractoque consistere? Vnus ille scilicet, qui assiduam mortis meditatione exercitatus, subductis rationum calculis, omnem diem velut extremum clausit.

Non absque causa per Aegyptiorum mensas olim sceleratus, id est ossa corporis compago, iactabatur, & eorundem Antistitibus vas aureum terram plenum praeferebatur: nec immerito gentes quaedam, alioquin barbarae, mortuorum ossa velut *χρήματα*, id est pecuniam, quotidianis commerciis terebant. Videbant enim, nihil conducibilius, nihil ad componendas vitae rationes, assiduam mortis meditatione praesentius inueniri posse. Hoc igitur & nos agamus assidue, & mortis imminentis causa sic ordinemus omnem diem, tanquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam: ita fiet, ut nihil nobis neque terroris neque acerbitatis mors adferat, cuius vis omnis crebra cogitatione fuerit eneruata. Illis enim mors acerba, quibus numquam meditatione praegustata: illis grauis est ruina, quibus est repentina.

S E C T I O O C T A V A.

ECCLESIASTES.

VERSUS 13. Hanc quoque sub Sole vidi sapientiam, & probavi maximam:

Nnnn 3 14. Ciui-

Plinius
1.7.c.53.

Mors pra-
meditata
securita-
tem ad-
fert.

Varia mor-
tis symbola.
Herodotus
lib. 3.

14. Ciuitas parua, & pauci in eâ viri: venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.
15. Inuentusque est in eâ vir pauper & sapiens, & liberauit urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.
16. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?

METRICA PARAPHRASIS.

PERSPECTAM meritis quisquis honoribus
 Virtutem decoras, aut sapientiæ
 Externæ radiis facis
 Natiuum cumulas decus;
 Virtutem populi nil opis indigam
 Ne vanis populi subice plausibus:
 Nil quidquam sapiens tulit
 Urnâ plebis iniquius.
 Quem fors muneribus diuitis Indis
 Thesaurorumque Arabum multiplici beat,
 Esto iudicio Midas;
 Hic Rex, hic sapiens cluet.
 Aurum diuitibus stemma dat, & genus,
 Et formam, & titulos, & sapientiam,
 Diues labra resolverit,
 Suadæ filius audiet.
 At quamuis sôphiæ lumine splendeat
 Angustæ dominus non humilis rei;

Illum

Illum flexanimâ inclytum, ac
 Summæ præsidium rei
 Infestus populi sibilus exiget.
 Vidi quadriuges quâ Phaëton regis
 Hunc florem sapientiæ
 Protritum populi pede.
 Cùm Rex exigui stringeret oppidi
 Vallo bellipotens ciuica mœnia,
 Certatim pluteos phalanx
 Nectit vimineâ crate:
 Pars gressum propiùs ferre cuniculis,
 Murosque è latebris tundere vectibus:
 Pars fundas volucres rotans
 Excusos silices vibrat:
 Cornu pars obices arietat aneo,
 Libratisque ferit claustra molaribus:
 Pars è turribus imminens
 Plumbo vulnerat alite.
 Quid rari facerent millibus incola
 Bellantum oppositi (ceu nemorum feras
 Venantum insinuant plagæ)
 Cincti indagine Martiâ?
 En vili latitans tegmine penula
 Augusti sapiens pectoris extitit,
 Qui cordis referans opes
 Linguâ interprete consill,
 Fatali exanimis erigeret metu,
 Et versis cuneis incolumes daret
 Ciues, hostica territans
 Curis castra sagacibus.
 Sed quid dissimulem vipeream indolem,
 Ingratosque canes? Ut redijt dies

Pulsâ

Pulsâ nube serenior,
 Discussisq̄ue periculis;
 Lauru nemo fuit qui viridi comas,
 Aut fertis premeret tempora querneis,
 Aut Victricis adorea
 Ferret munera pauperi:
 Sed tantum tenebris post merita hac ducem
 Merferunt latebra ignobilis otij,
 Damnatusq̄ue inopi casâ
 Fortuna opprobrium tulit.
 Quisnam hic, tunc ego, quis pectus habet furor?
 O ciues! patriâ siccine in otio
 Despectus iaceat parens?
 Quis mentem eripuit Deus?
 Tam vilis pretij est merx sapientie? aut
 Tam fidum columen mentibus excidit?
 Plus pollet vigor ingeni,
 Quàm nerui, latera, aut manus.
 Ut tauri immodicis luxurient toris,
 Ungues Marmaricus imperiosius
 In pugnam exacuat leo,
 Aut tigres animet furor;
 At virtus domitis imperitat feris,
 Palmam vis animi corporibus rapit:
 Ut neruis superent ferae,
 Vincunt ingenio viri.
 Si neruis animi vis supereminet,
 Cur mens celsa inopis suadaq̄ue spernitur?
 Cur tantum patriâ iubar
 Demersum tenebris iacet?

PROSA EXEGESIS.

MIRVM fortasse cuiusdam videbitur, cum hæc tenus Ecclesiastes velut æger in vanitatis lecto volutatus, quocumq; caput verteret, nihil nisi morbum suum, id est vanitatem, & è vanitate conceptam animi ægritudinem inuenerit, nunc eundem præter consuetudinem inuentâ singulari sapientiâ recreari, & in eadem acquiescere. Sed profectò si quis in eius scopum paulò accuratiùs mentis aciem intenderit, perspectâ rei indignitate, fatebitur hîc nouâ potiùs vanitate eius animi vulnus exulcerari.

Et quidem non vnum, sed varium ac multiplex vanitatis genus in hoc seu vero seu commentitio stratagemate deprehendet. Primùm enim vanissimum est, cum ciues illi sapienti salutem atque incolunitatem suam acceptam ferre debeant, pluris tamen apud eos esse fortitudinem ac robur corporis, quàm sapientiam. Deinde multum vanitatis habet ac molestiæ tanta ingratitude erga salutis suæ vindicem. Denique omnium vanissimum est, propter honestam minimeque indecoram paupertatem, sapientiam contemni. Excutiamus singula paulò enucleatiùs.

Antiqua est illa non vulgi tantùm, sed nobilium atque optimatum insania, corporis robur & bellica facinora in cælum vsque extollentium. Hinc Herculem Græci monstrorum debellatorem ex Oetæis flammis in cælum euolasse fabulati sunt. Romani verò sic bellicam virtutem suspexerunt, vt vix aliam ad cætum Deorum viam agnouerint, quàm exercitus ducere, vrbes delere, liberos populos aut trucidare, aut subiicere seruituti. O merum cacodæmonis inuentum! Quis ille

*Homines
passim ro-
bur corporis
admiran-
tur ac de-
predicant.*

O o o o

tan-

Lactantius
l. 1. de Falsâ
relig. c. 18.

tantus est aut stupor, aut furor? Si quis vnum aliquem iuglauerit, nefarius habetur, nec ad vllum fani angulum admittitur: qui verò infinita hominum millia trucidauerit, cruore campos inundauerit, flumina infece- rit, non modò in templum, sed etiam in cælum admitti- tur. Apud Ennium sic loquitur Africanus:

Si fas cadendo caelestia scandere cuiquam est,

Mi soli cali maxima porta patet.

O quantis in tenebris, Africane, versatus es, qui per ca- des & sanguinem patere hominibus aditum in cælum putaueris! Cui vanitati & Cicero assensus, Est verò, in- quit, Africane: nam & Herculi eadem ipsa porta pa- tuit. Tamquam ipse planè, cùm id fieret, ianitor fuerit in cælo. Profectò si alia ad immortalitatem non patet via, quàm per sanguinem ac ruinam plurimorum; mi- fera erit earum gentium conditio, quæ pietatem, quæ iustitiam, quæ pacem concordiamque sectantur. At si hoc nemo vestrum ita sentit, restat vt hoc solum apud posteritatem gloriæ sibi fore crediderint, virtute bellicâ feris barbarisque gentibus, aut numerosis exercitibus præualere.

*Sapientia
prauales
viribus
corporis.*

Claudianus
in Vitâ eius,
& Birtonius
anno Chri-
sti 452.

Quod si gloriosum ducimus, quantò maior honos habendus est sapientiæ, quæ non rarò absque cæde & sanguine truculentos Reges barbarosque exercitus sub- iugauit? Videte nunc igitur sapientissimum Pontificem Leonem, verè Magnum, non tantùm ferocissimo Hun- norum Regi Attilæ, qui à crudelitate Flagellum Dei cog- nominabatur, sed toti etiam eius exercitui victoriis in- solescenti, vnicum & inermem oppositum; & tamè tam potenter eorum animis dominatus est, vt retrò abire iussis, Roman excidiò, Italiam vastitate liberauerit. Nec minori sapientiæ laude non ita multò post Geiserico,

iam

iam Vrbe potito, persuasit, vt à stupris, incendiis ac cæ-
dibus abstineret.

Quid Franciscum Xauerium commemorem, illustre Turfellinus
lib. 2. Vitæ
Xauerij,
c. 11.
Societatis nostræ decus? qui, irruente in Trauancoridem
magnâ Bagadarum manu, iam iamque Christianorum
ingulis imminente, vt suos protegeret, nudum pectus
eorum mucronibus obiecit, acribusque verbis eorum
dementia castigauit. Nec verò mentis ardorem ex
vultu & oculis micantem barbari tulerunt; sed siue mi-
raculo audaciæ obstupefacti, siue reuerentiâ virtutis
permoti, Francisci causâ ceteris pepercerunt. Sed dum
sapientiæ laudibus indulgeo, opinione meâ longiùs
prouectus sum.

Alterum itaque quod in hac historiâ vanissimum de-
prehendo, est insignis erga patriæ parentem ac vindi-
cem ingratitudo, quam paucis verbis expressit Ecclesia-
stes. *Inuentus est, inquit, pauper & sapiens, & liberauit
urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est
hominis illius pauperis.* Quid tam indignum, quàm eius Ingratitu-
dinis vani-
tas atq; in-
dignitas.
beneficium, cui vitam & salutem debeas, ne gratâ qui-
dem memoriâ recolere? Certè cum nulla satis digna
eius meritis sint præmia, hoc saltem, si qua humanita-
tis scintilla in eorum cordibus arderet, ipsa ratio sugge-
rere debebat, vt eius inopiæ opportunis mediis sub-
uenirent. At contrâ fieri non rarò videmus, vt qui refe-
rendis gratiis pares esse aut non possunt, aut nolunt, ob-
liuione potius beneficium oblitterare, quàm vel leuissi-
mâ affectûs significatione prosequi contendant: & quos
pudet eò redactos fuisse vt beneficio opus habuerint,
iidem se illud accepisse indignentur.

Non ingrediar hanc ingratitudinis siluam cæduam,
vt exemplis indignitatem rei exaggerem: vnum tan-

Val Max.
lib. 4. c. 4.

tummodò ramum defringam. Quantum gratiarum vrbis Romanæ Patres debuisse arbitramur Agrippæ Menenio, Senatū inter plebemque pacis arbitro? & quantis auctum præmiis publicæ salutis auctorem credimus? Hic tamen, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, vt sepulturæ honore fuerit priuandus.

Sapientia
vulgo con-
tempta.

Plutarch in
Aristide.

Sed ne longior sim, & ad tertium, idemque vanissimum, stylum conuertam, illa me Ecclesiastæ interpellat admiratio, *Quomodo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?* Mirari desine, vir sapientissime, acerbiorē etiam, si voles, sapientis casum in medium producam. Quis vlli vniquam ciuitati aut Reipublicæ vtilior fuit, quàm Atheniensi Aristides: qui cum prudentiâ vsuque rerum ceteris antecelleret, non solum nullum egestatis suæ subsidium spectabat, sed ne contentionem quidem laudis & gloriæ cum Themistocle suscipiendam sibi putabat, sed omnia iustitiâ, integritate, patriæ charitate, recteque factorum conscientia metiebatur: hunc tamen pauperem sapientem, nulli noxium, Reipublicæ salutarem, non tantum populus contempnit, sed etiam ostracismo in exilium relegauit. O stulta semper turba, & vulgus meritorum pessimum æstimator! qui nimium oculis suis de homine credens, magnitudinem eius externo splendore metitur. Quo quid esse potest iniquius? Vel ob id ipsum suscipiendus erat Aristides, quod gratuitam non mercenariam ciuibus operam nauabat. Et si quis alius sub Sole pauper sapiens inuenitur, eò nobis carior esse debet, quod virtutem in virtute, non fortunam quæstumque confectetur.

Sed maeste animis, quicumque hanc veram Philosophiam,

phiam, nulloque fucō adulteratam procaris: neque mi-
 nūs esse te felicem arbitrare, si te populus infesto cachin-
 no exsibilet, quinimō illud Publij frequenter expen-
 de: Nondum felix es, si nondum te turba derideat. Ni-
 hil magis mihi persuasi, inquiebat Socrates, quā ne ad
 opiniones vestras actum vitæ meæ flecterem. Solita con-
 ferte vndique verba; non conuitiari vos putabo, sed va-
 gire velut infantes miserrimos.

*Sapiens cō-
 temnit vul-
 gi iudiciū.
 Publius
 Mimus.*

*Seneca de
 Vitā beatā,
 c. 26.*

Et verò quid sapienti detrahit stultorum contem-
 ptus fortunæ donis, vestiumque pompâ, quâ prætexta
 sunt corpora, cuncta metientium? Vt externum ali-
 quem splendorem auferant, natiuam certè lucem illi
 relinquent. Infra animum sapientis est, quidquid ex-
 trinsecus occurrit, & nubium modo interuenit, quæ so-
 lares interdum radios nobis abscondunt, sed ipsum so-
 lem adeò non inquinant, vt ne tangant quidem. Itaque
 nec si populi fauor accesserit, insolescit; neque si petu-
 lantis vulgi pedibus obtritit fuerit, alienis sordibus ob-
 solescit. Denique & in tenebris instar Cynosuræ cu-
 iusdam radios diffundit, & in recessu solitudinis am-
 plissimum sibi theatrum repræsentat. Hinc subiungit:
 Ecclesiastes:

*Stulta vul-
 gi iudicia
 sapienti ni-
 hil detra-
 hant.*

SECTIO NONA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 17. Verba sapientium audiuntur in si-
 lentio plus quàm clamor Principis inter stul-
 tos.

Oooo 3

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

VIRTUTE quisquis inclytâ mentem excolis,
 Et Sophia tacito pectore condis opes,
 Si te protervæ plebis vrna despicit,
 Dissimilem vitius, dissimilemque sui,
 Monitusque surdâ vulgus aure præterit,
 Prægnans consiliis quas tibi lingua parit:
 Lucem perosus publicam, atque intus canens,
 Virtutis cochleâ cornua conde, precor.
 Virtus sibi ipsi regium est capitis decus,
 Equat & in cochleæ maxima regna sinu.
 Hanc nocte lior vsque luridâ premat,
 Discutiet radiis noctis opaca suis.
 Erit ut in astra tollat excelsum caput:
 Et monitis pretium tunc sapientis erit.
 Quisquis recessu segrege æstum plebei,
 Et rabidi fugiet murmura rauca fori,
 Verba sapientis aure non surdâ bibet,
 Ut Clarios tripodes enthea virgo solet.
 Non Stentor aquæ ducet auritum gregem,
 Rauca licet tumido guttura folle crepent.
 Licet imperita turba plausum conciat,
 Et rabulam fausto murmure ad astra ferat;
 Non turba rerum pretia sed ratio facit.
 Plus valet insano murmure docta quies.

PROSA EXEGESIS.

*Sapiens non
 semper deli-
 rescit, nec se
 delitescat,
 lumen a-
 mittit.*

NEC semper despectus in tenebris sapiens delitescit,
 neque in illo suo recessu ac solitudine minus ha-
 bet veri splendoris ac felicitatis: quemadmodum neque
 semper densis nubibus Sol ille mundi oculus obduci-
 tur,

tui, neque, cum ad spectum nostrum subtrahitur, aliqua luminis illi portio, decedit, sed æquè semper in se splendet, & eadem lucis incœnitate (si fas est dicere) tamquam suâ quadam beatitate fruitur, atque oblectatur. O beatum illum, qui præclare sibi conscius, & à strepitu tumultuantis mundi seductus, intra suam se eutem cogit, sibi què vivit, ac Deo! Satis amplum virtuti theatrum est conscientia, & vnus instar omnium spectator, ac bonorum remunerator Deus.

In hoc theatro pulcherrimam contemplationis scenam explicat Sapiens, & in conuersationem aduocat, quidquid eximij celo terraquè continetur: nec opus illi turbâ, cum quâ grata misceat colloquia. Nam, vt ait Ambrosius, quâ non frequentia stipatur in solitudine, quem vita beata circumdat?

Viderat olim quasi per nebulam Seneca huiuscemodi Sapiens obscuram quamdam effigiem, cœpitquè de illo inquirere, qualis esset eius vita futura, si aut in solitudinem abditus esset, vel in custodiam coniectus, vel in aliquâ gente alienâ destitutus, vel in desertum littus eiectus: & respondet, talem fore qualis est Iouis, cum resolutio mundo, paulisper cessante naturâ, acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus.

Nos verius talem fore dicamus (quatinus cum infinite proportionis intervallo) qualis ab omni retro æternitate fuit omnium rerum auctoris & conditoris Dei, antequam pulcherrimum hoc vniuersum è nihilo educeret, cum secum ipse esset atque ageret, & in se acquiesceret, & huius vniuersi gubernationem æternis consiliis ageretur.

Pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente genens.

Ita

Ambrosius
li. 1. de Vita
Iacob, c. vi.

Seneca E-
pist. 9.
Sapiens se-
cum con-
uersatur
Deum imi-
tatur.

Poet lib. 3.
de Consol.
Métro 9.

Ita sapiens in tenebris velut in chao delitescens, ad illud exemplar vitæ suæ normam fingit,

Virgil. 2.
Aeneid.

— *sequiturque Patrem non passibus æquis,*
& à turbæ contagione sequestratus, suasque in se opes, id est Dei dona recolligens, cogitationibus fruitur se dignis.

Sapientia
non semper
despecta.

Non semper tamen in tenebris sapiens & squallore delitescit, sed incidunt subinde tempora, quibus despecta paupertas in desiderio est & veneratione, cum scilicet plus ad salutem communem conferunt pauperum consilia, quàm diuitem opes & copiæ.

Plutarchi in
Aristide.

Vidit hoc olim Græcia in eo, de quo nuper egimus, Aristide Iusto: qui cum popularis vrnæ suffragiis in exilium pelleretur, vrbe excedens supinas in cælum manus porrexit, Deum precatus, ne dies vlla Populo Atheniensi tam calamitosa illucesceret, quàm Aristidis meminisse cogeret. Quid tandem? vix tres anni fluxerant, cum, Xerxe Græciam inuadente, veriti Athenienses, ne Aristide ad Persas deficiente, optimus quisque eum sequeretur, exules omnes in patriam reuocant. Sed Aristides multò antè pro patriæ salute desudabat: & cum Græcos circumuentos videret, ab Æginâ præceps per mediam classem hostilem properauit ad tabernaculum Themistoclis, solique euocato, Nos iam vanâ, inquit, Themistocles, ac iuuenili contentione depositâ, aliud pro salute Græciæ certamen incamus: tu Dux & Imperator, operâ ego & consilio tibi subserviens. Quid multa? pauperis & quidem exulis sapientia ingrata patriæ saluti fuit.

Sapientia
modestia
prauales
inultu
si imperis.

Hoc vindictæ genus virtuti placet ac sapientiæ, vt tandem vel ab inuitis ametur: & potentiùs hominum animis dominetur genuina minimeq; fucata modestia, quàm

quàm Princeps aliquis inconditis clamoribus ac tumultuosis imperiis. Neque verò ad populi plausum componit orationem, aut à vocis contentione verbisque sequipedalibus commendari desiderat, cum sapientiæ maiestatem fastus dedecet & vociferatio: semper enim veræ sapientiæ ac modestiæ indiuiduum fuit con-
tubernium.

Quare non abs re monet Ambrosius, ille melleus totus, nominiq̃ suo non difformis. Ipsum, inquit, vocis sonum libret modestia, ne cuiusquam offendat aurem vox fortior. Nemo certè Cycloborum clamore superabit aut Tyrrenam tubam: & huius tamen sonus per aëra diffunditur, atque evanescit, nullo fructu relicto. Et vt clamosi vel maximè finem suum fructumq̃ consequantur, quid tandem sequuntur nisi fauorem popularem, plaususq̃ & vociferationes insanæ multitudinis, ceteraq̃ pantomimorum ornamenta?

Quanta autem dementia est eius, inquit Seneca, quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid lætaris, quòd ab hominibus iis laudaris, quos non potes ipse laudare? Quid turpius Philosophiâ captante clamores? Deinde, nemo prudens illos vitæ duces eliget, qui præconem agunt, non doctorem: qui verba magnâ celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur, sed eos qui vitâ docent, qui cum dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent quid vitandum sit, nec vniquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Hi sunt, qui quouis Monarchâ potentiùs humanis affectibus dominantur: hi sunt, vt ait Sapiens noster, quorum *verba plus audiuntur in silentio, quàm clamor Principis inter stultos*: hi sunt, qui maiori cum fructu versantur inter audito-

Ambrosius.

Seneca
Epist. 52.
Stultum
est, populi
plausus &
clamores
captare.

P p p p

res

res Pythagoreo silentio deditos, quàm Princeps aliquis in confertissimâ multitudine, quæ nihil nisi theatrales clamores, & inconditas voces, oratori suo velut mineral rependit.

*Christus
est pauper
& sapiens,
qualis à
Salomone
describitur.*

Isaia 42, 1.

Iansenius
in cap. 12.
Matthæi.

Isaia 42, 3.

Luc. 21, 15.

Talem sapientem pauperem initio quidem despectum atque explosum, sed tandem doctrinæ moderatone vitæque mansuetudine Monarchis omnibus superiorem, nobis exhibet Isaïas, apud quem sic loquitur diuina Maiestas, dum eum nouo Testamento doctorem ac legistatorem destinat: *Ecce seruus meus; suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium (non illud forense, sed legem faciendorum & cauendorum) Gentibus proferet. Non clamabit, nec audietur vox eius foris.* Ostendens hac ratione, vt interpretatur Iansenius, Euangelicam Philosophiam non terroribus, non conuitiis, non contentionibus esse defendendam aduersus rebelles, sed mansuetudine superiorem euasuram. Hinc subiungit Propheta: *Calamum quasatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ iudicium; & legem eius insula expectabunt.* En veræ sapientiæ triumphum, cui (tametsi primum à Iudæis instar scandali, Gentibus instar insaniam repudiaretur) superbam atque indomitam ceruicem & imperij fasces submitit orbis vniuersus.

Iisdemque modestiæ ac patientiæ vestigiis discipulos suos insistere voluit magnus hic legistator, hortatus ne animis conciderent, si diu despectos in tenebris mœrere contigerit; tandem enim aliquando superiores hostibus euasuros. *Ego enim, inquit, dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* His similia postquam ad communem sapien-

sapientiæ commendationem paucis insinuauit Ecclesiastes, tandem ad fabulæ suæ seu historiæ catastrophæ verbis proximè sequentibus reuertitur.

SECTIO DECIMA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 18. Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

METRICA PARAPHRASIS.

NULLA sic splendens Siculis caminis
Fulgurat castis, simul ac minacis
Torua Mauortis furians Enyo
Cluserit ora,

Nulla vis ferri chalybisve tantùm
Pectus aduersum tegit, ut pauentum
Corda confirmans Sophia irretortus
Protegit Umbo.

Si qua præpollens ratio Gradiuo
Excubat fidâ statione mentis,
Saxeis frustra catapulta nimbis
Territat vrbes.

Consill' parmâ sapienter vsus
Despicit fundæ Balearis umbres,
Despicit nerui salientis ictu
Concita tela.

Scimus ut montes iaculata pubes
Pelion celso imposuisse Olympo
Pertinax structis gradibus polorum
Scanderit arces.

PPPP 2

Fabula

Fabula si quid fidei, reuulsis
 Arborum truncis Superos laceffens
 Terruit Rhæcus iaculator audax

Castra Tonantis.

Sed quid, heu! profunt sine mente vires?

Gorgone obiectâ sapiens virago
 Centiceps monstrum pepulit Typhœa in
 Tartara Pallas.

Ceteram pubem Patareus Apollo
 Delium numquam positurus arcum,
 Rore qui Pimple lauit ora vatum,
 Perdidit orco.

Sauit incaſum sine mente robur,
 Visque vanescit sine Marte & arte:
 Ars tamen Marti rapit inuidendæ

Premia palma.

Martio si quis strepitu ingruente
 Deuio gressu Sophiam reliquit,
 Hic rei summæ tumidis salutem
 Tradidit Euris.

Heu! quibus demens locupletat vndas
 Naufragæ rector spoliis carinæ,
 Jura dum puppis maris æstuosis
 Credidit vndis?

Seu ratem ditet Perues metallum
 Erutum mundi latebris sepulti,
 Siue stipatam nemorosa Idume
 Thure saburret;

Siue in audacis caua texta pinus
 Congerat myrrhæ Brasilus liquorem, &
 Balsami succos, & inuolutis
 Cinnama libris;

Addat

Addat & gemmas Malabar sub imo
Gurgite inuentas, adamasque pulchris
Grandinet capsis, geminâ repertum

Munus Jauâ :

Unus hæc vasto Thetidos profundo
Error ignari tumulat magistri.
Ipse tempestas, Notus ipse, & alno
Naufraga Syrtis.

PROSA EXEGESIS.

NON minori certè periculo exercitus aut Reipublicæ gubernacula duci imperito, aut rectori, qui oculos à prudentiæ Cynosurâ deflexerit, creduntur. Neque enim mitiores in bello tempestates, quàm in oceano, neque tutiùs fortunæ, quàm ventis rei summa committitur.

Gubernator improvidus rem perdit.

Sed duo potissimùm occurrunt, à quibus inter bellorum fluctus metuenda sunt Imperatori naufragia, nisi ad sapientiæ sideriten animum adfricuerit, stulta securitas, & inconsulta temeritas, vtraque aut stulitiæ aut ignorantia filia.

Et nescio quâ ratione fieri dicam, vt qui neruis & corporis robore ceteris antecellunt, minùs fermè animo ingenioque polleant. Itaque hi tales contemnendis quàm cauendis hostibus meliores, à contemptu sæpè nimiaque fiducia initium calamitatis, atque adeò vastitatis patriæ dederunt: & quos spreuerant hostes, negligentia violentiores reddiderunt.

Vide Lipf. l. 5. Politic. c. 16.

Cauenda nimia securitas hostiumque contemptus.

At contrà nihil tam leue, tamque infirmum ducendum erat, quod non magnæ interdum rei momentum facere posset: & sæpè paruis in bello momentis magni casus intercedunt. Quo magis præceptum illud in omnium

Cæsar l. 1. de Bello ciuili. Aemilius Probus in Thrac.

nium animis esse deberet, nihil in bello oportere contemni; nec sine causâ dici, Matrem timidi flere non solere.

*Stultam
securitatem
in bellis
qua pa-
riant.*

Hanc à stultitiâ natam securitatem duo fermè in bellis lactare solent, armorum apparatus, & militum copiâ: quibus ita se munitos putant quibus infirmum est ingenium, ut nihil illis ad victoriâ summam deesse videatur. At nisi prudentia in consilium fuerit adhibita, quæ in omnes casus excurrat, & quidquid aut fortuna aut hostilis industria moliri potest, cogitatione præcipiat, quid erit tandem omnis ille armorum apparatus, nisi fumus? & quid militum copiâ, nisi longâ pompâ deplorandum funus?

*Temeritas
vulgo pro-
batur, non
sapientibus.*

Altera stultitiâ proles est inconsulta temeritas, quæ ferociter omnia ac præproperè aggreditur, & simul atque hostilem aciem viderit, generosi ducis opinionem apud imperitos captans, fortunæ cuncta committit. Et verò si vulgi sententiis res definienda sit, omnis cunctatio servilis & abiecta, prompta verò executio, ac periculorum contemptio, generosum quid ac Rege dignum præ se ferre videbitur.

*Livius
lib. 22.*

Cùm Fabius ille, qui rem Romanam cunctando restituit, castris in monte collocatis, Annibalis ferociam pertinaci cunctatione frangeret, à militibus pugnae cupidus pro cauto timidus, pro considerato tardus, pro perito imbellis, castrensi conuitio vocabatur. Sed aliud certè fuit Annibalis, omnia prospicientis, & moram illam suspectam habentis, iudicium, qui malè sibi suisque metuens, Ista nubes, inquit, quæ sedet in montibus, sollicitata procellâ aliquando imbrem dabit.

Nihil itaque præproperè, nihil inconsideratè tentandum est: non ut perpetuò cunctando nihil agas, sed ut agentem

agentem te ratio, non fortuna ducat. Rectè Cæsar Augustus prælium aut bellum numquam suscipiendum monebat, nisi cum maior emolumentum spes, aut damni metus ostenderetur: velle enim tentare fortunam, eius esse arbitror, cuius res cum angustæ sint, spes etiam angustior in dies futura videatur. Merito igitur Carthaginenses, duces bella pravo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebant; quod benè gesserant, Deorum immortalium adiutorio; quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes.

Sueton. in Augusto, c. 25.

Prudentia in bellis adhibenda. Simonetus apud Ios. Pont. hist. lib. 1.

Valerius 1. 2. c. 7.

Maneat igitur, primam Imperatoris virtutem esse sapientiam. Tametsi enim multum in re militari potest fortuna, adeoque multum, ut quidquid est prosperè gestum, id pænè omne ducat suum; tamen consilij magnæ in rebus arduis adeoque præcipuæ sunt partes.

Sapientia fortuna prouolat.

Cic. pro M. Marcello.

Quo sensu dixit Attius apud Sallustium, fabrum esse quemlibet suæ fortunæ. & Fabius apud Liuium, bono Imperatori haud magni momenti fortunam esse: mentem potiùs rationemque dominari.

Lipius 1. 5 Politic. cap. 16. Sallustius ad Cæsarem.

Liuius 1. 22 Sapientia corporis viribus præstat.

Nec plus illi in armis aut robore corporis est præsidij, quàm in fortunâ. Quemadmodum enim machinæ illæ bellicæ, quæ nitrato puluere confertæ, tonitrua ac fulmina imitantur, nulli sunt vsui, nisi flammam veluti spiritum vitamque conceperint; ita nihil prodest aut armorum apparatus, aut militum virtus, nisi ducis sapientia tamquam vigor quidam vitalis accesserit.

Quin ipsum etiam Imperatorem, tametsi corporis viribus polleat, si sapientiæ lumine fuerit orbatus, non alium existimabo, quàm Cyclopem illum Siculum, qui Vlyssi, id est sapientiæ ludos præbens, hastam

irritis

irritis ictibus libret, vires in ventum effundat, scopulis manus allidat, ac suâ tandem mole corruat. Merito igitur Agamemnon, ut Troiam euerteret, non decem Aiaces aut Diomedes, sed Nestoras optabat.

Adamus
Contzen
lib. 4. Po-
litic. c. 12.

Summi Im-
peratores
scientiis ex-
culti fue-
runt.

Et verò si quis historiarum monumenta peruoluerit, inueniet, celeberrimos Imperatores non minus litteris ac scientiis excultos, quàm armis exercitatos; non minus consilio superiores euasisse, quàm gladio. Nonne Periclem, Græciæ fulmen, annos quadraginta accepimus eloquentiâ populum, fortitudine militem, vtrumque prudentiâ gubernasse? Nonne ducum præstantissimus Timotheus ab Isocratis disciplinâ exiens, res Græciæ collapsas restaurauit? Et quoties Cneus Pompeius, depositâ casside, mitioribus Philosophorum certaminibus operam dedit? Ac imprimis è bello Mithridatico victor Rhodum veniens, sigillatim omnium Professorum ædes circumiuit, & fasces illos laureatos priuatorum ianuis submitit.

Stratagemata in bello sunt prudentia factus.

Quid ego nunc infinita ducum stratagemata commemorem? quorum pleraque, si rectè ratiocinabimur, non tam fortitudinis, quàm ingenij prudentiæque factus esse fatebimur. Non ingrediar hîc infinitum exemplorum pelagus: duo tantum ex omni numero producam, quæ planè gemina sunt illi historiæ, quam de obsesâ vrbe, ac per sapientiam liberatâ, perstrinxit Ecclesiastes.

Liuius 1. 5.

Alterum Romanorum est, qui, cum Galli Capitolium obsiderent, eiusque potiundi spem in fame obsessorum reponerent, prudenter vnico illo perseverantiæ irritamento victores spoliarunt: proiectis enim, compluribus ex locis, in eorum castra panibus, spectaculo obstupefactos ad pactum soluendæ obsidionis compulerunt.

Alterum

Alterum nobis suppeditat Agathocles Syracusanorum Rex: qui, obsesâ, maioriq̃ue ex parte captâ urbe à Carthaginensibus, vt reliquæ parti consulere, relictis paucis propugnatoribus, exercitum in Africam traiecit, vt metum metu, vim vi, discuteret. Nec frustra: nam repentino eius aduentu percussis Pœni, libenter incolumitatem suam salutis hostium redemerunt.

Ex quibus omnibus luce meridianâ clariùs efficitur, non tantùm in re militari sapientiam fortitudini præstare, sed vsque adeò ducibus esse necessariam, vt si quis vel in vno ab eius normâ deflexerit, multorum bonorum iacturam, vt ait Sapiens, sit incursum. Non licet in bello bis peccare, ait Plutarchus: quia nimirum vnicus error totius rei summam in discrimen adducit. Hinc meritò turpe esse affirmabat Africanus, in re militari dicere, Non putavi. Cùm enim inemendabilis sit error, qui violentiâ Martis committitur; explorato & excussò consilio ea, quæ ferro aguntur, administrari censebat oportere.

Quæ autem de re militari diximus, eadem in Reipublicæ administratione locum habere, nemo non videt. & signanter idem affirmat Sapiens, dum sic inquit: *Vbi non est gubernator prudens, populus corruet; salus autem, vbi multa consilia.* Quin hoc etiam amplius de Republicâ pronuntiauit Lilius: Excellentibus ingenii citiùs defuerit ars quâ ciuem regant, quàm quâ hostem superent. Et Nazianzenus: Profectò ars quædam artium & scientiarum mihi videtur esse, hominem regere, animal maximè varium & multiplex, quod in nullum magis insurgit, quàm in eum quem imperium in se affectare persentiscit. Vis igitur

tur morosum hoc animal in gyrum rationis ac obedientiæ redigere, & quidem sine vi & armis? utere suavi ac moderato prudentiæ freno. Hæc vnica & propria virtus est imperantis. Et sanè plura, vt ait Tacitus, in summâ fortunâ auspiciis & consiliis, quàm telis ac manibus geruntur; vt verum sit Poëticum illud oraculum:

Tacitus
33. Annal.

Euripides.

Mens vna sapiens plurium vincit manus.



SPECV.